DANIELIS
CHAMIERI
EPISTOLARVM IESVITICARVM

Pars altera.



EXCVDEBAT Petrus de la Rouiere.

M. DCI.

IOANNI NISSOLIO,

SYMMISTÆ,

amicóque charissimo,

DANIEL CHAMIERVS

S. P. D.

NON amauimus alter alterum tam frigidè, mi Nissoli, dum adolescentiam nostram literarum cùm humaniorum, tum Theologicarum in scholis studia detinerent, vt quæ, posteà quã variis Ecclesiis & regionibus nostros labores voluit destinatos Deus, interuenit corporum distractio, eadem animos diuideret, extinguerét-ve primi amoris flammas. Ac de te quidem, quũ omnia fausta mihi polliceor, tum me certè tui nulla cœpit vnquam vel tenuis obliuio, teste vicino illo meo tibi vt mihi iisdem de causis amantissimo Valetono, quîcũ mihi crebriora colloquia miscere con-

cessit ille optimus qui cõcessit vt à pietate nostrũ triũ amor cunabula sua inchoaret. Ea mihi caussa est, tui nũc adeũdi oblato hoc munusculo, cui⁹ exiguitatẽ spero nõ ingratã fore. Ea pars est meæ cũ vicinorũ Turnonẽsiũ Iesuitarũ Rectore exercitationis. Miseram ad eum primò Theses duas de Ecclesiæ notis, maximo his temporibus negotio: propter maleferiatam hæreticorum, ac maximè Apostatarum nostrorum calliditatem, qui quum viderunt, si de doctrina ipsa solidè disputaturi accedant, vix habere quicquam quo verisimiliter fucum faciant immanibus quos obstinatè tueri volunt erroribus: huc diuerterunt, vt iniecto quasi puluere, oculorum aciem obtundant, quo facilius nec ipsi deprehendi, & alij decipi possint quos sui volunt similes fieri, gehẽnæ mancipia. Iis thesibus sic ille primùm respondit, vt facilè agnosceres hominem inuitum huc pertrahi: sed & eo tantum modestum, quod hæc studia sibi ingenuè testaretur non frequẽtata: Quod quum animaduertissem secundò scripsi, sic examinans quæ protulisset, vt liberum facerem

cerem posthac desinere & suis occupationibus satisfacere. Id certè ex ingenio meo, quod planè inimicum est illis proteruiæ plenis disputationibus, æque atque amicũ placidis συζητήσεσι. Itaque sperabam non progressurum vlterius. Sed non tacuit: scripsit has quas vides longas literas, ceu libellum mauis: nonnihil remittẽs de sua in me proteruia: sed multum addens impudentiæ in nostros doctores. Itaque putaui mihi etiam seuerius agendum: ne, quod ait Hieronymus, dissimulatio, conscientia iudicaretur: tum crimina obiiciuntur tam & pondere suo grauia, & falsitate calumniosa, & asseueratione impudentia, vt non tantum dissimulari non debeant, sed ne frigidè quidem refutari poßint. Postulabat primò, vt me sibi discipulum traderem, scilicet catechumenũ suis imbuendum mysteriis. Satis arroganter. Nũc paulò humilior, videtur agere tanquam cum aduersario: sed suo labori valde parcens, tertio quoq; verbo ad Bellarminũ amandat, aut Boziũ, aut Gregorium de Valẽtia: quasi quia illi priores scripserũt, ideò huic tacẽdũ sit etiã sol-

licitato. Felices sanè Iesuitas, quibus tam facilè scribendi ansa præciditur! Atqui quum primùm scriberem meas ad eum theses iam legeram nec perfunctoriè, non Bozium quidē & Gregorium de Valentia, sed Bellarminū, Costerum, atque nostros Apostatas, qui has sibi peculiariter partes assumpsere, disputandi de hoc capite, quo se confidunt probaturos, nō sine ratione insanisse. Quum autem nihil inuenissem, quod vel vmbram haberet soliditatis, tentandi mihi visi sunt hi nostri vicini, acutiorésne essent in eadem caussa propugnāda nouis excogitandis, saltem sollicitādi, vt quæ ab illis mutuarentur argumenta, viderent tandem quàm sint futilia, inepta, nulla. At volebat potius meus Ignatius, optimus ille disputandi magister, vt colligerem quæcunque ab aliis scripta erant ac refutarem. Non mirfaris ingenium? Itaque non obtinuit: nec obtinebit porro, ne speret: potius enim patiar vt taceat quod etiam non semel minatur. Nam in Bellarmino & reliquis, si quid desidero, alio & separato opere me collecturū volo vt sciat non

Thesibus

Thesibus ad eum scriptis. Si nihil habet quod afferat noui, hoc ipsum disertè fateatur, aut si fateri pudet, meas literas dissimulet, agátque Harpocratem: reliqua meæ curæ committat: quorsum enim ille mihi studiorum rationem præscribat? Aut quænam hæc, malum! importunitas est? id à me exposcere, quod neque ipse præstet, cui tamen potius incumbebat, neque ipsius magistri? Nam & quas à Capiano mutuatur calumnias, ante annos quindecim solidißimè VVittakerus refutauit: quas autem à Bellarmino sumpsit, eis Rainoldus ante paucos annos responsionem opposuit. Quin & Bellarminus, fastuosus ille Romanarum hæreseō ὑπερασπιστής, *etsi videri vult nihil intactum reliquiße, tamen nostrarum partium, argumenta & solutiones, vix dimidia ex parte attingit. Hæc tu omnia in Ignatio meo videbis, mi Nissoli, & ridebis mecum Iesuiticum ingenium. sed habeo quod dicā amplius. Est mihi, imo erat, nunc enim sit ne an non sit, non facilè dixerim, sed erat mihi disputatio non cū hoc duntaxat Ignatio, sed & cum altero Iesuita,*

etiam priore, de Idololatria. Is Cotonus est, nosti, vt opinor, nomẽ, his regionib. satis celebre. Egit is mecũ aliquandiu modestè: vt mirarer, & mirarentur mecũ alij non pauci. Nec deerat caussa: non est enim Iesuitarũ ingenium eiusmodi, quos aut erroris vesania, aut sua superbia non abducat extra humanitatis limites. Itaque etsi magis probaretur disputandi ratio, quam sequitur Ignatius, attentior ad rẽ de qua agitur, & in argumentis conquirendis diligentior, quam in ostentanda eloquentia elatior, ea ratione quam Cotonus obseruabat, singulis literis disputationis faciem totam immutans, multa mea, eáquè non minimà dißimulans, non attentus ad rem, & vt vno verbo dicam Rhetóricus iactantior, quã Dialecticus acutior, tamen faciebat hæc modestia, vt hunc mihi mallem aduersarium dari, qui singulis versibus amorem testaretur ardentissimum, fratrem appellaret, fratrem amantissimum, & multa eiusmodi: munuscula etiã literis adiungeret, suorum libros nonnullos, eò missos, vt amicitiæ essent indices, imò cum iis

etiam

etiam cor suum (sic enim loquebatur) vellet mihi dono datum. Itaque prædicabã sanè vbique viri modestiam. Sed attende exitũ fabulæ. Discessit Gratianopoli: Turnonum profectus est: Auenionem venit: Heu quàm mutatus ab illo qui fuerat! Mutatus sanè: siue ex dolore, quod non successissent ex voto ea quæ agitauerat cum nostris Callia & Cressono Gratianopolitanis pastoribus: siue correptus à magistris Turnonensibus & Auenionensibus, siue aliam quamlibet ob causam. Itaque fingens à me disseminatũ rumorem suæ futuræ conuersionis, Auenione ad me litteras mittit, sermone Gallico, Deus bone quàm impudentes! quàm insanas! Nihil quisquam vnquam legit atrocius. Nõ iram illæ redolent, sed meram spirant maniam: adeò nullis ille verbis parcit. Itaq; quia acciderũt hæc illi circa caniculam inusitatis ardorib. hoc anno nostras vrẽtem regiones, placuit hoc disticho in eũ ludere,

Cur qui mulcebat, cœpit mordere Cotonus?
Sic soliti æstiuo sub Cane nempe canes.

Sed fallórne? an hæc potius huius furoris caussa est, quòd eò se videat redactum, vt non pos-

sit idololatriam, quam nolit tamē abiurare, rationibus tueri? Nam ijsdē literis susurrat nescio quid de hæretico vitando, post primam aut secundam admonitionē: de fratre peccante, & tandē si pertinax est, habēdo pro Publicano: Ille viderit: ego exclamē. spectatum admissi risum teneatis amici? Sed desino. Habes, mi Nissoli, historiam Iesuiticarū disputationum: vnde scias, adeò abhorrere Loyolistas à mansuetudine, vt etsi aliquandiu simulēt, tamen ad ingenium redeant: proinde nobis in animo illud semper versari debere, quod olim cecinit Solon:

πεφυλαγμένος ἄνδρα ἕκαστον
ὅρα μὴ Κρυπτὸν ἔγχος ἔχων
Κραδίῃ, φαιδρῷ προσενέπῃ προσώπῳ:
Γλῶσσα δὲ οἱ διχόμυθος
Ἐκ μελαίνας φρενὸς γεγωνῇ.

Sed nos eorū tamē argumētationes serias quū non reformidemus, immodestos furores cur timeamus? Accipe, mi Nissoli, hoc tibi à me tuo iam olim amico intimo, oblatū animi testimoniū: perge mutuū amare: & plurimùm vale. Ex Acusiorum Colonia Cal. Aug. 1599.

AD SOTERICVM GRATIS DOCENTEM.

TE gratis narras, Soterice, velle docere,
Vt gratis agat ergo tuo suadeto patrono,
Qui vocem multo venalem venditat auro.
Procurator item facitó tuus improbet aurum,
Summittátque genu nulla mercede redemptus.
Quinetiam sanctum, te quæso, doceto senatum,
Ne petat à nostro statui sibi commoda rege,
Sportellásque dari, sed procurator opp ellam
Si vendit, si causidicus sua verba locare
Consueuit si legitima mercede senator
Donatur, decus vt queat ordinis inde tueri:
Stoica quæ dicis credent paradoxa forenses.
Lucra aspernanti nemo tibi credet eorum.
Illa fori quæcunque vides subsellia, quæstus
Implet, & augustum magna emolumenta tribunal.
Quæ si quis tollat, fuerit mox curia sola.
Te simulatorem, comœdúmque esse putabunt,
Nec stipe contentum censebunt esse minuta,
Sed testamentis inhiare, lucrísque beatis:
Insidiatorem captatorémque loquentur,
Atque eleemosynas auertere pauperis, atque
Amplas sectari prædas, contemnere paruas.
Mallem equidem tibi grata foret mercedula parua
Quàm congesta simul Claromontana talenta,
Iudicio quæ ferre rapax conaris iniquo,
Debita pauperibus, non nexa ad guttura vesti.
Sed pietas iam nota tua est, animúsque benignus.
Magna petis, qui parua fugis: pietatis auaræ
Huius amore tuum pectus feruescit & ardet.
Nemo velit quisquam causa stipis esse latronum

In numero: maiora cupit, spoliare paratus,
Et iugulare homines: queis sit dare præmia promptus,
Vt trahat in fraudem, spoliisque exinde fruatur.
Exiguum sic tu pretium contemnere suetus
Illicis vt iugules, fortunisque omnibus orbes:
Euertásque bonis, exhæredésque propinquos,
Et testatoris censu potiaris opimo,
Cui curatorem prætor dare debuit olim.
Eia age nobiscum sic, quæso, paciscere: triplex
Accipias pretium, legatáque cuncta relinquas,
Abstineásque manus alieno & munera temnas.
Verùm hoc Harpyiam certò scio nolle pacisci.
Gratuitum iactare igitur nolito laborem,
Quando in fortunas prædo grassaris opimas.
Quid quòd cùm soleas quartus quintús-ue docere,
Fucorum ignauás pecudes præsepe saginat
Mille, quibus nec discendi, nec cura docendi?
At nemo nostrûm sese tolerare potis sit
Mercede ignauos nedum nutrire queamus.
Præterea quare affectas in ea vrbe professor
Esse, professores aliis quæ mittere suevit?
Discipulos quæ vix tot habet, quot docta magistros,
Ostendunt festis vt compita picta Kalendis?
Vnum assem quoniam discentibus ipse remittis,
Idcircóne vrbeis rodent pecuaria mandræ
Ignauæ, Phariæque examina scæua locustæ?
Quæsticulum iustum qui negligit, imputat idque
Ciuibus & regno, & prorsus se pernegat esse
Cuiquam oneri, nec habet fundatas censibus vllis,
Queis sese tueatur, opes, censore Catone
Exuuiis hominum & præda pascatur oportet.
Mercedem cur quæ debetur negligis, illam
Quæ non debetur tamen exigis? ede quid illi

Sint abs te docti, quorum bona prædo tulisti:
Quorum legatis nunc fortunatus abundas.
Hoc tibi propositum est, hæc mens, cumulare bonorum
Congeriem, villas & prædia quærere multa,
Atque potestatem vitæque necisque parare
In stupidum vulgus, quod tu cùm feceris, hortos
Mox Epicureos segnisque saturque petesses.
Grammaticosque omneis, doctores, atque magistros
Discipulorum inter cathedras plorare iubebis.

IN EVNDEM.

Acceptum gratis, gratis donare necesse est,
Lex, ais hæc nostri certa sodalitij est.
Si verum narras, aut da quod & accipis, aurum,
Aut quæ das aliis, nil nisi verba, cape.

SCHOLA PARISIENSIS AD supremam, Curiam Parisiensem.

Illa ego quæ magnos quondam tibi læta Catones
Protuli, & excelso semina digna foro.
Nunc etiam magno prolem generosa parenti
Cur non dem, quæris? fibula supposita est.
Fibula parua quidem, sed quæ si longius exit,
Obstabit facilis caua puerperio,
Iamque ades, ô Lucina tuæ succurre parenti,
Nec patere hanc tecum sic sine prole mori.

EX IO. PASSERATII VIRI ERVDITISSIMI

PRÆFATIVNCVLA IN DISPVtationem de Ridiculis, quæ eſt apud Ciceronem Lib.II.de Oratore,

Lutetiæ Pariſiorum habita.

Luſtranda igitur & expianda nunc Academia, Muſiſque iterum dedicanda, diligenti cautione adhibita,ne amplius earum templa,& ceremoniæ contaminentur. Id vt rectè fiat atque ordine, abigendæ ſunt imprimis obſcœnæ volucres, quæ rapinis contactúque omnia fœdant immundo.

Decolor eſt illis vultus,teterrima ventris
Proluuies,vncæque manus,& pallida ſemper
Ora fame.

Non agnoſcitis volucres: agnoſcite ſine plumis bipedes,

Curua quibus pullam ſubnectit fibula veſtem.

Has Harpyias niſi Senatus & ampliſſimi ornatiſſimíque viri,quibus Academiæ, ſcholæque regiæ inſtaurãdæ tradita eſt prouincia, fugarint & exterminarint,vt pinnati Aquilonis filij in fabulis, fruſtra littoralibus diis vota nuncupabimus: rurſus ad eos ſcopulos,ad quos nuper eſt fermè adflicta,nauis noſtra referetur. Nequicquam in excolendo Muſarum fundo ſudabimus:nequicquam lolium,carduos,lappas & tribulos extirpabimus,niſi ex agro noſtro hęc filix radicitus euellitur. Meminiſſe debemus quonã pacto profugi homines, nec minus vagi quàm Scythæ,noua gratuitæ doctrinæ profeſſione vulgò commendati,huc irrepſerint, & ἀέκηπιθεῶν in Academiæ parte cõſederint: quibus artibus,inhiãtes locupletũ

fortunis

fortunis,diuites orbos,vel cælibes,deliros senes,superstitiosas mulierculas,& adolescẽtulos imperitos deceperint,& velut Circæo poculo,repentè immutarint: vt religionis specie, quã inexplebili auaritiæ suísque fraudibus obtendunt, equum Troianũ paulatim introduxerint: vt semper in insidiis mãserint, & in speculis steterint,proditionis occasionẽ exspectantes: vt ea oblata,machinam suam continuò aperuerint,armatísque hostibus hanc vrbem, & totam Galliã omni genere calamitatis repleuerint. Ne verò insidias & paratam pestem caueremus, néve impendentia prospicientibus ac prædicentibus cordatis viris crederemus,obstiterunt Corœbi quidã atque Vcalegontes,qui plures in Ilio nostro quã Laocoontes fuerunt. Et hos adhuc habemus in sinu Sinones? *Quid hos,malùm,fouemus,aut quid hi sciũt, Nisi vncta deuorare patrimonia?* At gratis docent: muta literulam,rem acu tetigeris, Gratis nocent: cóque mactãdi maiore infortunio,quòd gratuitò sunt mali: quanquam vix istuc sibi persuadebit qui eos bene nouerit. Testes honestissimæ amplissimæque familiæ,quarum sanguinem pro leui docendi opella, & exiguo Mineruali,istæ hirudines exorbuerũt. Testis immanis eorum census,qui cum Regũ ac summorũ Pontificum opibus certat. Præclara liberalitas,repudiare drachmam, vt talentum extorqueas! Mirũ genus benignitatis,pro stipe mẽstrua,immẽsę pecunię legata,opimásque captare & rapere hæreditates! Institutio puerorum his aucupibus est illix. pendebũt pulchrè qui ab ea transenna turdi lumbricum petẽt. Gratuita doctrina illis est pro hamo, vel potius pro reti-iaculo, quo callidi piscatores cuncta cõuerrũt, cũ puluisculo. Stolidi parentes qui suos iis credunt

liberos, eadē opera colūbas accipitribus, pullos miluiis, & oues cōmittent lupis. Sed quid tandē isti, per aureū funē de cœlo delapsi magistri, discipulis suis tradunt? nihil sapere, ritus Hispanos, odiū legū, institutíque patrij, &, vt priscis vtar verbis, imbelliā, imbalnitiē, impolitiā, imparentiā, merámque cum Lauernæ sacris barbariē: quā consultò huc inuexerunt, opinor, vt eam soli docerent. Interim delitescunt in vepretis nostris nitedulæ, quæ rē ciuiū arrodunt: nobiscū impunè versātur speculatores & exploratores Philippi, & eius tyrannidis acerrimi satellites. Atqui discuntur apud eos boni pudicíque mores. Sanè tristes cùm aspicias, frugi censeas: nec tamen si fibulam gestāt, sunt Hippolyti: nec si bonos auctores euirāt, ideo bonis placent: Gallis præsertim, quibus natura sunt inuisi Deliaci. Magna laus est scilicet, ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete veruecē, ac ex verre maialem facere. Atqui vtinam fabri patribus eorum, qua parte opus fuit, perpetuam imposuissent fibulam: recta hîc non deprauarent ingenia, dum curua corrigere videntur, nec Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, suos edocerent artem mentiendi, & dolos, quos appellant industrios. Quid autem aliud præciperent vulpeculæ, si scholam aperirent? Sic amāt verum hi Chamæleo ntes, polypi, ac stelliones. Huiusmodi doctrinam, & hos mores, nos illis non inuidemus: sibi habeant, abeántque simul cum strigibus ὠκυπτέροις ἐπὶ νῆας: & illuc reuertantur vnde malum pedem huc attulerunt. Iampridem vasa collegerunt: profectionis signum datur: quid morantur amplius Academia nostra certè, quæ longū periculosúmque morbum eorúmque contagione contraxit, nisi hoc leuetur vomitu, vix vnqūam conualescet.

DANIELI CHAMIERO
CALVINIANO
IGNATIVS ARMANDVS
HVMILLIMVS PRESBYTER
Societatis Iesu, S.

ITERVM dico, Chamiere, immeritò exacerbatur animus tuus: nec nos Idololatriæ, neque tu veræ, & orthodoxæ doctrinæ cultor ac minister es: nisi tantum tibi velis arrogare, vt tuò tibi solo verbo credi velis. Nos omnem idololatriam ex animo detestamur, eósque patres ac parentes agnoscimus, quorum opera ac industria factum est, vt omnis dæmonum ac idolorum cultus ex orbe propemodum vniuerso, auxiliante Domino profligatus fuerit. fratres illi nostri sunt, qui in reliquiis idololatriæ exterminandis in vtraque India & Iaponia insula latissima, in vastissima Sinarum regione, cum Dei gratia, omnes animi, corporísque vires & conatus adhibent: tametsi Sanctos, cum Christo in cælis regnantes, corúmque τὰ λείψανα ac imagines debito cultu ac veneratione prosequamur: quam tu venerationē impiè & imperitè simul, vel certè maliciosè idololatriā appellas; à qua tantū illā abesse videres, si quippiā videres (sed tu quum lolio victites κολοκύντους λημᾷς τυφλώττεις· λεβηρίδος) quantum cla-

rissimus solis splendor, à tenebris distat. Vide, si placet, quæ de hac re scripserunt inter alios innumeros, Bellarm. controu. 7. generali. lib. 2. Greg. de Valentia, lib. 5. de idololatria, & Richeom. in eo lib. quẽ ad te non ita pridem misit Cotonus: & quousque horum omnium obiectis, & argumentis satisfeceris, caue nos idololatras vocites; alioqui sycophantã te, & impostorem omnibus exhibebis.

Sed tu, ô bone, veræ ac orthodoxæ doctrinæ cultor ac minister es? siue, vt scribis, doctrinæ christianæ Catholicæ, ex Dei gratia doctor? serióne loqueris Chamiere? ridiculũ. Quã tu doctrinã Christianã Catholicã appellas? Quæ in Ecclesia Gebẽnensi (abutar in præsentia hoc vocabulo) docetur? inde enim opinor ortus est doctoratus tuus, nisi αὐτοδίδακτος, vel θεοδίδακτος omnino es, & à nemine mortalium didicisti. Si id credis, vehementer erras: Non est doctrina Christiana Catholica orthodoxa, nisi in Ecclesia Catholica. Ecclesia Gebennensis non est Catholica: igitur in Ecclesia Gebennensi non docetur doctrina Christiana Catholica, orthodoxa. Propositionem opinor, non negabis. Assumptionem probo. Illa Ecclesia Catholica est, quæ communicat in fidei & religionis Christianæ instituto cum omnibus per orbem gentibus. Ecclesia Gebennensis non ita communicat cum omnibus gentibus, id est, non credit, quod vbique, quod ab omnibus nationibus creditur, igitur non est Ecclesia Catholica, neque eius pars. Propositionem Sanct. Augustinus, aliique Patres suo testimonio, & sanctarum scripturarum autoritate probant. Sanctus Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ, capite tertio, Cum Christi Ecclesia Catholica canonicarum scri-

pturarum

pturarum diuinis & certiſſimis teſtimoniis in omnibus gentibus deſignatá ſit, quidquid attulerint, aut vndecunque recitauerint qui dicunt, Ecce, hic eſt Chriſtus, ecce illic: audiamus potius ſi oues eius ſumus, paſtoris noſtri vocem ibidem dicentis, Nolite credere. Singulæ quippe hæreſes, in multis gentibus, vbi Eccleſia Catholica eſt, non inueniuntur: hæc autem quæ vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt, inuenitur. Et lib. quarto de Symb. c. x. Audite, inquit, hæretici, quid ſcriptum ſit, oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & prædicare in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus eſt: Eccleſia totum poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dote. Quæcunque congregatio cuiuſlibet hæreſis in angulis ſedet, concubina eſt, non matrona. Et lib. 2. contra lit. Petil. c. 16. Obiicio tibi ſchiſmatis crimen, quod tu negabis: ego autem ſtatim probabo: neque enim communicas omnibus gentibus, & illis Eccleſiis Apoſtolico labore fundatis. Idem indicat S. Baſil. epiſt. 72. State, inquit, in fide: ipſum orbem inſpicite, & videte, quã modica ſit ea portio, quæ hoc morbo laborat. Reliqua vero vniuerſa Eccleſia, quæ ab orbis finibus vſque ad fines Euangelium recepit ſanam hanc & rectam fidem ſectatur. Vincen. Lyrin. aduer. proph. hæreſ. nouit. In Eccleſia Catholica, ad quam nõ vna natio, non vnus angulus, ſed multitudo maris conuertitur, id teneamus, quod ab omnibus, quod vbique, quod ſemper, creditum eſt. Ita ſancti patres, de Eccleſiæ Catholicæ definitione, quam ipſa notatio vocabuli Catholicæ, non obſcurè indicat.

Nunc verò, Chamiere, auderes-ne dicere (quanquam tibi tanquam Ἄρεως γέροντι θυμὸς ἐπ]αβοεὶς) vel

etiam suspicari Ecclesiam Gebennensem communicare in fidei & religionis instituto cum omnibus gentibus, credere, quod vbique, quod ab omnibus nationibus creditur? Appella gentes in tribus maximis orbis partibus, Asia, Africa, America, cum quibus communicet Ecclesia Gebennensis. Europæ finibus non egreditur. Et ipsa Europa, quot vrbes, quot prouinciás, quot regna continet, quæ vix nomen ipsum Gebennensium audiuerunt? numera in Italia tota, in Sicilia, in Græcia, maiore & minore, in Sardinia, in Corsica, in Hispania, in Lusitania, in Maiorica, in Minorica, Ecclesias cum quibus communionem habeat schola Caluiniana. In angulis sedet: concubina est, non matrona. Hoc ecclesiæ Romanæ, hoc cœtus eorum qui Romano Pont. nunc paret, proprium est, vt quo modo dictum est, cum omnibus gentibus communicet; ac propterea solus ille cœtus Catholicæ ecclesiæ nomen meritò sibi vendicat. Audi Aug. lib. cõt. Ep. fund. c. 4. Tenet me, inquit in ecclesia ipsum Catholicæ nomen, quod nõ sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Rationem adfert in lib. de ver. rel. c. 7. Velint nolint hæretici & schismatum alumni, quia non cum suis, sed cũ extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant: non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur. Id ipsum ferè habet S. Cyrillus Hierosl. cathec. 18. Vos quidem, Chamiere, vos Catholicos, & vestram Ecclesiam Catholicam nuncupatis; qua

in

in parte Suffeni vobis eſtis. Nã quis prætereà dignatur vos hoc nomine? Lutherani? Vvicleſitæ? Valentini? Seruetiani? & innumeræ aliæ ſectæ, quæ in Germania & partibus illis Septẽtrionalibus graſſantur? Non illi vos magis Catholicos, quam vos illos, vel nuncupant vel æſtimant. Qui ergo? Græci? Turcæ? Arabes? ſed vobis à veſtro principe, ſicut omnibus aliis ſectis nomen indiderunt, & pro Caluinianis agnoſcimini, ſi agnoſcimini. Quod antiquis hæreticis eueniſſe notarunt Iuſt. in dial. cum Triph. Lact. lib. 4. diuin. inſt. c. 30. Iren. lib. 1. c. 20. Athan. ſerm. 2 cont. Arian. Chryſoſt. hom 33. in Act. At vera eſt regula S. Hieron. lib. cont. Lucif. ſicubi audieritis eos, qui dicuntur Chriſtiani, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquo alio nuncupari, vt Marcionitas, Valentinianos, ſcitote non Eccleſiã Chriſti, ſed Antichriſti ſynagogam eſſe. Nos verò noſtrámque Eccleſiam, id eſt, Romanam, omnes omnino gentes Chriſtianam Catholicam appellant, ipſimet hæretici. Quid vis amplius? Animaduertiſti vnquam catalogos librorum, qui quotannis conficiuntur in nundinis Francofordiæ. In huiuſmodi catalogis, libri qui ab autoribus Catholicis ſcribuntur, vocantur eorum Catholicorum libri, qui Rom. Pont. ſubiiciuntur: quo nomine diſtinguuntur ab iis qui compoſiti ſunt à ſectariis hominibus: qui Proteſtantes Theologi ibi appellantur, quia nimirum nemo vt Catholicos illos agnoſcit.

At clari*, opinor, intelligere vis, quomodo Rom. Eccleſia cum orbe toto, in fide & religionis Chriſtianæ inſtituto conſentiat. Planiſſimum fiet, ſi conſtiterit eas omnes nationes quæcunque de Chriſto aliquid vnquam audiuerunt vel illum receperunt,

ab Romanæ Ecclesiæ filiis edoctas & institutas fuisse. Id porro accuratè luculentérque demonstrat, scriptor non ignobilis nostri temporis Thomas Bozius in suo opere de signis Ecclesiæ lib. 4. toto, vbi sigillatim enumerat omnium gentium conuersiones, diuersis temporibus factas, non nisi à Rom. Ecclesiæ cultoribus & alumnis: sicut hodie in amplissimis Orientis & Occidentis regionibus, ab eiusdem Ecclesiæ ministris Christi fides diffunditur, quæ à nulla vnquam hæreticorum secta (quod negare non potes) inter gentes disseminata est: nempe negotiū hæreticis est, ait Tertul. in lib. de præscr. nō Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi: hanc magis gloriam captant si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.

Vide ergo, Chamiere, quam verè te iactas doctrinæ Christianæ Catholicæ doctorem. Sed nihilo verius est, quod ais nostram in vera religione tuenda constantiam; quam pertinaciam vocas, ex odio veritatis proficisci: vel ex ignoratione cælestis doctrinæ. Non erit mihi difficile probare, vos ipsos ex odio veritatis errare: nos autem incredibile esse, vt sic erremus. Si vel leuiter Philosophia tinctus es, fatearis necesse est, veritatem ipsam per sese odio haberi non posse: sicut neque sapientiam, neque pietatem, & eiusmodi perfectiones, cum tamen nonnunquam nonnulla coniūgantur, ratione quorum odio haberi possit. Verbi gratia, si ex Veritatis professione malum aliquod impendet, vt amissio bonorum, honoris iactura, & similia, sicut hæc ita & veritas, quæ illa secum affert, effugitur. Videamus ergo quid incommodi nobis euenire possit, si ad vestra castra transfugeremus? Careremus fortasse carnis illece-
bris,

bris,quibus nunc videlicet diffluimus? de altiſſimis honorum gradibus deiiceremur? omnibus mundi oblectamentis valedicendum eſſet? his omnibus iãpridem valediximus: noſter ſtatus & conditio omnia alia poſtulat. Vobis iſta timenda eſſent,quibus ſi veritatis lumen aſpicere in animo eſſet, ſtatis temporibus ieiunia obſeruare,à carnibus abſtinere, animi maculas confeſſione eluere oporteret, & pleroſque veſtrum à thoris & coniugiis ſacrilegis abſtinere,monaſteria repetere, clauſtris iterum ſeſe abdere neceſſarium eſſet. Hæc mentis oculum prorſus excæcãt,& vt in meridie cæcutiatis efficiũt:adeò lubet Azotis βατταλίζεσθαι cùm ſe ſemel melle perũxerint.

In eo verò quod nos humanioribus quidem literis perpolitos fateris, at cæleſtis doctrinæ, id eſt, Theologiæ ignaros & rudes, imperitum te, quod minimè mirum eſt,rerum noſtrarum prodis: de quibus ita loqueris ὥστε μύχος ἀδωνβειάτεων. Illas enim literas obiter tantum,& ex accidenti tractauimus ad informãdos adoleſcentum animos, qui noſtræ fidei ac curæ committuntur:hanc autem ex noſtro inſtituto profitemur,& quantum in ea noſtræ ſocietatis homines progreſſum fecerint,aliorum eſto iudiciũ. Certè non mediocrem fuiſſe,non obſcurè teſtantur Turriani,Caniſij,Toleti,Pererij,Bellarm. Gregorij de Valentia, Ioſephi à Coſta, Herinqúes, Suares, Hayi, Duræi, Coſteri, Maldonati & alij quamplurimi,quorum opera magno Catholicorum fructu paſſim teruntur. Sed quales quales nos exiſtimes, nihil refert. Id porrò te peſsimè habet,quod ego à te adeo amicè compellatus, tam proteruè reſponderim. Cũ hæc legi occurrit animo illud ſapientis Prou, 26. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens

esse videatur: sed tenuit me versiculus præcedés, Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Non proteruè tibi respondi, Chamiere, at minus suauiter, quã P. Cotonus: idque de industria. Periculosissimè enim laboras si nescis: & eò periculosius, quò minus morbi grauitatem sentis, quod te sine riuali diligas, & patriæ tuæ fumus sit igni alieno luculentior. Aspersit ille vulnera tua oleo: & vt ipse fateris, nihilo melius habes: adhibui ego vinum, vt ambo idipsum faceremus, quod pius Samaritanus erga illum fecerat, qui semiuiuus relictus à sicariis in itinere fuerat.

Quod subdis de Theologis scholasticis, inane est: cæcus de coloribus iudicas: vel illos non legis, vel non intelligis. Gloriosius de me triumphare videris, cum ais non posse te satis mirari, me à Deo vocatum ad hæreticorum conuersionem, tantopere auersum à cognoscendis controuersis hoc tempore capitibus. Scripseram nunquam mihi admodum placuisse eiusmodi disputationis genus, nunc addam, quia vis, me auersatum esse, & etiamnum auersari. Quid tum postea? num propterea consequens est nõ nosse me controuersas Catholicos inter & hæreticos quæstiones? imò quia noui, ideo auersor. Verũ bono animo esto, Chamiere, si harum me rerum imperitum putas, faciliùs superabis. Neque meum propterea animum de cælo nuper lapsum putes, quòd dixerim in vestris codicibus, nihil acuminis, nihil ingenij, nihil solertiæ reperiri. Iterũ dico, & si quid tale est, id totum nostrũ est, id à Theologis nostris mutuò acceptum, & vestris inuentis temerè assutũ, atque compaginatũ. Estis enim vos illi militi apud Periphanem in Epidico similes, qui centones farciebat:

ciebat, & sapiéter quidé: siquidé, πινῶντι κλέπτειν ἐς δασκίως ἔχων. Vis, Chamiere, exempla aliquot proferã egregij vestri acuminis in scripturis explicã dis? Ioan.c.20. disertè dicit, Christum Dominum post resurrectioné, ianuis clausis, ad discipulos intrasse. Quid Caluinus? ne duo corpora in eodé loco posse simul cõsistere admittere cogatur, Non penetrauit, inquit, ianuis clausis, sed aliter aditũ sibi patefecit. lib. 4. Inst. c. 17. § 29. Quonã tandem modo: nam id Euangelista bis repetit. Vel, inquit, in resp. vlt. ad VVesph. ianuam sibi aperuit, vel in nihilum redegit, & statim restituit. VViclef, Ingressus est per rimas quasdam inuisibiles. Oecolamp. per fenestrã, aliúmve aditũ. P. Martyr. Per portas, vel à se rarefactas, vel cedere iussas. Buling. Per ianuas ab Angelo apertas. Beza: Per ianuas ex sese patefactas, aut per rarefactionem subtiliores redditas. Hoccine est ianuis clausis ingredi, quod asseruerat Euangelista? ô acumen! ô solertiam! Beza explicans illa verba Luc. 22. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, mauult in eis admittere solœcismum, quàm credere veritati. Hoc Bezæ acumen est. Michael Seruetus in Ep. 6. ad Caluin. Deum ait, in lapide verè esse lapidem, in ferro ferrum, in trunco truncum, in stipite stipitem, in rebus omnibus res omnes: tam acutè ille disputat? Lutherus in 3. c. Epi ad Gal. & qui eũ secuti sunt Centuriatores cent. 2. c. 4. asserunt infantes dũ baptizãtur, exemplo S. Ioan. Bapt. diuinas quasdam notiones internis sensibus percipere, promissiones Euangelicas audire, & promittenti Deo fidem habere Lutheranorum istud acumé est quod omné sensum & rationem excedit: retunditur tamen à S. Aug. qui

inEp.ad Dard. q. 2. Si propter vnum Ioannem, inquit, credibile est infantes omnes ante ætatem consilio & ratione vti : & propter asinam Balaam, quæ sapienter aliquando loquuta est, admonendos esse homines in deliberationibus suis asinina expectare concili . Placet aliud Lutheri acumen hîc attexere, in lib. de conc. Quia in primo concilio quod in Ecclesia coactum est, Act 15. Apostoli decreuerant abstinendum esse à sanguine & suffocato, efficere conatur, vel ab his omnibus abstinẽdum esse, vel confitendum liberum esse concilio summo ac primo nõ obedire. Deinde verò explicat, quanta esset calamitas nos vesci deinceps capreis, leporibus, ceruis, cuniculis, turdis, anseribus, cæterisque auiculis: & quod miserius est, abstinere lucanicis, aliisque farciminibus, & iusculis, etiam quibusdam, quæ non solum pipere condiuntur, sed etiam sanguine vel liquido tinguntur, vel crasso & coagulato infarciuntur. Quanta Luthero ἄλγη, nisi herniosus esset ad gulam. Sed de his satis.

Illud credo te magis pupugit, quod non tantũ dixerim nihil acuminis, nihil ingenij, nihil solertiæ in vestris scriptis reperiri, sed solummodo impiã quãdam libertatẽ & loquendi & sentiendi de mysteriis augustissimis religionis nostræ. Addo aliquid significantius: Plena omnia sunt mendaciis, calũniis, imposturis, blasphemiis: Tu ipse nosti: sed quia dissimulas, placet nonnulla cõmemorare. Nunquid horribilis blasphemia est, Deum totius bonitatis fontẽ, omnium scelerum ac flagitiorum autorẽ cõstituere? Constituit P. Martyr in com. in 2. Reg. Constituit Caluin. lib. 1. Inst. c. 17. §. 8. & c. 18. §. 1. & seq. quo loco ait, Deũ nõ tãtũ permittere peccata, sed immittere, velle,

velle,iubere,ad peccandum impellere,& cogere homines. Incestum Salomonis esse opus Dei. Quid illud? Filij natura tam diuina quàm humana Patri sub iicitur.lib.2.Inst.c.14. Filius respectu personæ nõ est nisi impropriè Creator cæli & terræ, Pater propriè: aduer.Gent.in refut.x.prothes. Ibid.Deus Pater habuit vim generandi Filium,ac propagandi Spiritum sanctum, quia voluit. Impropria ac dura loquutio Deum de Deo, lumen de lumine. Nomen Dei Κατ' ἐξοχὴν Patri attribuitur. Scitè admodum Bozius li.3. de notis c.5. Interrogo te,inquit,Caluine,quomodo asseres Filium Patri æqualem? non respectu naturæ diuinæ:nã subiicis illã Patri,nõ personæ, quando illa impropriè creat,Patris autem propriè: nõ volũtatis paternæ;ais enim genitũ, quia Pater voluit: poterat itaque nolle,atque ita Filius genitus nõ esset:neque igitur hoc respectu æqualis:nõ generationis:impropriũ nãque & durũ dicis esse,Deus de Deo: & quid æqualius Deo quã Deus?denique nõ nomine. Quid igitur æqualitatis Filio relinquis,à quo aufers æqualitatem respectu naturæ,personæ,volũtatis paternę, generationis,& ad extremum, quod leuissimum videri posset,nominis? Quid verò de Christo idẽ Caluinus? Ignorãtiæ pro nobis se subiecit:in c.14. Matt. Ignorauit speciẽ arboris,& deceptus fuit, quia fructum in arbore vacua quæsiuit:Harm.in Matt. c.21. Vehemẽtia doloris in horto abstulit ei memoriam cælestis decreti;in c.26. Matth. Verba desperationis protulit, cùm dixit, Deus meus,Deus meus, quare dereliquisti me? lib.2.inst.c.16.§.12.& in Matt. c. 27. Sustinuit pœnas ipsorum damnatorum, lib. 2. Inst. c.16.§.10.timuit de sua salute:eod.c.§.12. nullam corpori suo gloriam promeruit,lib.2. Instit.cap.17.§.6.

& codices lego: indignaris quòd dixerim nihil in eis ſubtile, nihil acutum, ſed impiam tantum ſentiendi & loquendi libertatem reperiri? Quid impium apud te eſt, ſi hæc impia non ſunt? Nolui plura commemorare, quia tibi ignota non ſunt: & ex vngue Leonem.

In eo verò quod operam meam tibi pollicitus ſum, ſi inſtrui velis: non intellexiſti me ais. Vix ſane crediderim. ſed planius dicam. Si de aliquo capite religionis noſtræ dubitas, & bona mente auelli tibi ex animo dubitationem percupis, paratus agnitam veritatem amplecti, en præſto ſum tibi per me & per noſtros, quacũque in re potero opitulari. Ego certè vt à te & à quouis alio qui docere poſſit, diſcere nõ detrecto: in cauſa tamẽ religionis, nec te, nec quencunque alium, vel tuæ, vel cuiuſcũque alterius peregrinæ ſectæ magiſtrum requiro, nec ſe vltro offerẽtem admitto. Ea enim omnia certiſſima & indubitatiſſima habeo, quæ ſancta mater Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana credenda proponit, contraria omnia dogmata falſiſſima. Tu, ſi eodem animo es erga tuas ſiue opiniones, ſiue hereſes, iterum nõ quidem imperiosè pręcipio, ſed amicè moneo, vt taceas & ingemiſcas, & Dominum Deum depreceris, vt mentis tuæ oculos fidei lumine illuſtrare dignetur.

Non aſſentiris mihi dicenti, in diſputationibus, verbo potius quàm ſcripto agendum eſſe: ſcripta enim, ais, ſunt ſolidiora, pacatiora, certiora: & ea poſſunt omnia ſcribi quę dici. Primũ, ſi omnia ſcribi quæ dici poſſunt, & è contrariò dici omnia quæ ſcribi: Ergo neceſſe non eſt ſcripta eſſe ſolidiora pacatiora certiora. Deinde nec tam facilè, nec tam breui tempore ſcribuntur, quàm dicuntur. Ad hæc, qui

veritatē tuetur, & probè instructus est, suæq. causę fidit nō ita se disputationis æstu abripi patitur, vt solidè, trāquillè, ac pacatè nō disputet. Sed astū vestrū intelligo. Effugitis disputationes quę viua voce fiūt, quia nimirū secundo quoque verbo cōtradicētia ac pugnātia loqui apertè cōuincimini: sæpenumero in eas angustias redigimini, vt in quancunque partem vos versetis, intelligant omnes & notent doctrinæ vestræ falsitatem; & obstinatam in errore tuendo peruicacémque voluntatem. Quicquid in buccam venit, absque ordine & methodo temerè effutitis, ab equis ad asinos de improuiso trāsitis, omnia miscetis. Cum scripto agitur, quia non licet omnibus conferre, quæ vltrò citróque scripta sunt, quocūque tandem modo respondeatis, abundè muneri vestro satisfecisse vobis persuadetis: postquam sparsistis in vulgus vos respondisse. Et putas me adeo stupidum vel stipitem fuisse, Chamiere, vt non intellexerim tibi in prouocando me non aliud fuisse propositum quàm gloriari posse & inaniter iactare me à te fuisse prouocatum: nempe vt de te homines dicant papæ! Potuissem citra iacturam mei nominis non respondere, & te talem relinquere qualis es: nā & catuli nonnunquam molossos prouocant, & hi nihilominus minimè commouentur, neque propterea vllus mortalium eos victos existimat.

Respondi tamen vt aliis magis quàm mihi satisfacerem. At nimis perfunctoriè, inquis: quia videlicet non rationum momenta pendis, sed paginas numeras. Expectabas aliquid amplius: Et quis te cogit amplius exspectare? Ego, non quid exspectares, sed quid opus esset respondere attendi. Proposuisti notas Ecclesiæ esse in sinceritate doctrinæ & Sacramētorū. Obieci aliquot argumēta omnino ἀποδεικτικά,

quæ nunquam dilucs: debuiſne afferre quicquid in hanc ſententiam afferri poteſt? debuiſtine exſpectare vt id efficerem?næ tu bellus homo es,ſi ita credidiſti. Aſſerui in ea propoſitione ſequutum te fuiſſe Caluinum. Tu verò, imò,inquis,ſcripturam ſequutus ſum,indicante Caluino.Sanè ſi eandem viam ingreſſus es,quam Caluinus & ille prior præceſſit, tu ſequutus es.Quid mali eſt fateri, cùm præcipuè illũ agnoſcas præclariſſimum Eccleſiæ lumen.Ego certè non diffiteor ſequi Auguſtinos,Ambroſios,Hieronymos,reliquóſque Patres in ſcripturarum expoſitione. Vide,Chamiere, acutus videri vis, & non es. Verum per me licet,ne ſequare Caluinum, ſequere ſcripturam. Non te illa docebit eas eſſe quas prætẽdis Eccleſiæ notas.Imo vero docet, inquis, Matth. 28.Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij,& Spiritus Sancti. Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt.Magnus Dialecticus es:ex quolibet infers quodlibet. Præcipit Chriſtus Apoſtolis, vt doceant omnes gentes, & baptizent in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti.Ergo ſinceritas doctrinæ & Sacramentorum eſt nota Eccleſiæ. Ingenuè fateor: intelligere nulla ratione poſſum,quomodo ex eiuſmodi principio talis concluſio inferatur:quomodo talis cauda,tali capiti cohęreat.Id debuiſti,opinor,aliquo pacto demonſtrare. Si dixiſſes, Præcipit Chriſtus Apoſtolis docere omnes gentes,&c. Ergo propagatio fidei in gẽtibus eáque maxima, etiam iniquiſſimis temporibus, & perpetua eſt nota Eccleſiæ:verè collegiſſes. At hoc non ſynagogæ veſtræ, ſed Eccleſiæ Rom. proprium eſt,vt ſupra indicauimus,& vberius docebit te,ſi cõſulere vis Th.Bozius l.4.de not.Ec. Videamus alte-

rum: Monet Christus oues suas audire vocem illius: Ergo notæ Ecclesiæ sunt in sinceritate doctrinæ & Sacramentorum. Non sic, Chamiere, sed, Ergo obedientia est nota Ecclesię, quæ vestra non est, sed nostra, vt idem qui supra Bozius probat lib. 10. c. 4.

Pergamus: Ex natura Ecclesiæ argumentaris, & hoc tuum, quantum colligere potui, argumentum est: Homines fiunt sancti per verbum & Sacramenta: Ecclesia est Sanctorum communio: Ergo sinceritas doctrinæ & Sacramentorum est nota Ecclesiæ. Tam bellè ratiocinaris, Chamiere! obsecro, edissere nobis in qua forma, in quo modo sit iste syllogismus. Sed nō sũt ista vobiscũ nimis ad viuum resecanda: iampridem Dialecticam sophisticem arbitramini, & ne sitis Sophistæ non vultis esse dialectici. Causæ, inquis, non tantum rem constituunt, sed etiam ostendunt, Ostendunt, inquam, ex se & natura sua: at nobis plerunque effecta notiora sunt, quàm causæ: & ex effectis deuenimus in cognitionē causarum, & ipsa effecta notæ sunt potius causarum, quàm causæ, effectorum: fumus, calor, splendor, notæ sunt ignis, non ipsa natura ignis, vel causæ internæ illius. Quocirca causa sanctitatis hominum, qui in Ecclesia sunt malè omnino constituis Ecclesiæ notas. Si hunc in modum argumentarére, Ecclesia est sanctorum communio, (vtrum hæc sit integra Ecclesiæ definitio, in præsentia non disputo) ergo ea vera est Ecclesia, in qua vnanimis doctorum consensus, & admirabiles Christianæ communionis ac diuinæ amicitiæ effectus cernuntur, & semper visi sunt, rectè quidem: at hoc contra te efficeres, vt accuratè disputat Bozius li. 5. c. 10. & lib. 10. c. 6. 7. 8.

Venis

Venis deinde ad solutionem argumentorũ meorum: Et primum ludis in eo quod rogaueram te, vt quid noui afferres. Negas id à te præstari posse, quia doctrina quam profiteris, antiqua est, & in Ecclesia id semper hæreticum est quod nouum, ô hominem veteris, & antiquæ doctrinæ perstudiosum! vtinam esses quod præ te fers: non ita populos simplices nouitatibus dementares, neque illos à semitis antiquis quas Patres eorum sequuti sunt auerteres. Non rogaui, vt nouum aliquod dogma cuderes: satis multa, & heu nimis multa, tu, magistríque tui cudistis, seu potius recudistis: neque vt non vtereris quoruncũque velles opera ad tua placita propugnandum: sed id volui, & iustè quidem mea sententia volui, vt si velles videri veritatis non inanis gloriolæ cupidus, ea proferres: quibus nostri vel non responderunt, vel si responderunt animo tuo non planè satisfecerunt, causásque cur minus satisfecerint, proponeres. Exempli causa in hac, qua de agimus, controuersia, non te latet permultos Catholicos, quamplurimis iísque firmissimis argumentis, hasce vestras veræ Ecclesiæ prætensas notas impugnasse: muneris id erat ergo tui, proposita sententia tua in medium afferre quæ Bellarminus & alij obiecerunt, eáque refutare: sícque me vel alium quem voluisses prouocare vt instantiis tuis responderem. Teipsum iudicem appello, Chamiere, si nunc quempiam è grege tuo ad certamen vocarem, iis duntaxat propositis, quæ ad te prioribus meis literis scripsi, nulla facta mentione eorum quæ respondisti, quid sentires? quid diceres? Ita vos geritis nobiscum? sexcenties vestra somnia atque commenta à viris eruditissimis explosa sunt: omnia fundamẽta vestra radicitus con-

uulsa, & omnibus iis dissimulatis, quasi nihil vnquam ea de re dictum fuisset, eadem obtenditis, vt aliquid scire videamini? Perge porrò, Chamiere, sinceritatem doctrinæ obscuriorem esse quã ipsam Ecclesiam negas. cur ergo Ecclesia tanquã magistra & custos veritatis, omnib' ac præsertim cognitione paruulis proponitur, vt illi tanquã firmaméto & columnę innitẽtes, non circũferãtur omni vẽto doctrinę, nisi quia Ecclesia lõgè notior est, quàm fidei doctrina? Quod intelligẽs S. Aug. cathecumenũ de ratione cauẽdi doctrinę errores: sic rogantem inducit lib. 13. cõt. Faust. c. 13. Quo ergo signo manifesto adhuc paruulus & nondum valens liquidã à tot erroribus discernere veritatẽ, quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quam iã credere, tanta rerũ antea prędictarũ manifestatione cõpellor? Huic Chamierus responderet, nõ alio indicio esse dignoscẽdã, nisi doctrinę sinceritate, idest, illo ipso, quod se nõ posse discernere verissimè ille asseuerat. Non sic Aug. qui ex prophetia Hierẽ. c. 17 ei respõdet, Ecclesiã Christi ipsam esse prędictã, quę omnibus eminet & apparet: ipsã est enim sedes glorię, de qua Apostol' dicit, Téplũ enim Dei, quod estis vos: vnde iste Propheta dicit, Sedes autẽ glorię exaltata est. Negas porrò sinceritatem doctrinę ab Ecclesia discendam esse, & duo subiungis: primo aliũde posse disci, nẽpe vel ex Scripturis sanctis: at vnde obsecro constat hanc vel illam Scripturã esse sanctã & canonicam, nisi ex Ecclesiæ testimonio? Euseb. Cæsar. lib. 4. Instit. c. 8. obseruat Basilidẽ fuisse quendam hereticum, qui præter eos, qui sacris Bibliis continentur, alios nescio quos Prophetiarum libros inducebat, vnum Barchabam, alterum Barchab nominabat. Ille Aristophanis

auibus

auibus similis ὑπηνέμια ἔτικτε calidum mendacium. Idem autor lib.3. c.27. refert Ebionitas eò insaniæ deuenisse, vt omnes S. Pauli Epistolas improbarẽt. Reiecerunt alij, teste Aug. lib.2. retract. c.16. omnia Euangelia. Horum omnium commenta, quomodo aliunde quàm ex Ecclesiæ autoritate conuelleres? Non te latet sæpe in Ecclesia disputatum fuisse; de aliis libris an essent Canonici, cùm vel tales aliqui falsò à quibusdam esse negarentur, vel importunè alij ementito nomine Canonicorum scriptorũ obtruderentur: quæ controuersiæ sine Ecclesiæ autoritate definiri nõ possunt. Hinc vide quid colligam, Chamiere, Per te sinceritas doctrinæ ex Scriptura probatur: ostẽsum verò est ipsam Scripturã per Ecclesiam dignosci. Ergo à primo ad vltimum sinceritas doctrinæ ab Ecclesia addiscenda est. Non nego tamen, quin aliquando contingere posit, vt ex Scriptura Ecclesia probetur, sítque illa ex hypothesi notior, quàm hæc, quãdo nimirũ Scriptura est recepta, & clarè loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia: sicut interdum è contrario Ecclesia est recepta & nota: & quæstio oritur de Scriptura, sícque optimè vnũ probatur ex altero. Absolutè tamẽ prior & notior est Ecclesia quã Scriptura. Fuit enim Ecclesia ante Scripturã, & ipsi data est Scriptura à Deo, at ipsa eã aliis tradit & explicat. Cùm verò subdis, vel ex hoc, vel illo doctore, puta Paulo: vel Canonicum scriptorẽ intelligis, & idẽ frustra repetis, vel priuatũ aliquẽ hominẽ, & ridiculus es, qui velis fidẽ nostram vsque adeo incertam esse, vt ex cuiusque hominis phantasia & commentis pendeat: profectò, si res ita habet, noua quotidie cudere fidei symbola, & circũferri nos omni vẽto doctrinæ necesse erit, quod

vides,opinor, quàm sit absurdum. Illud tamen absurdius, quod secundo loco addidisti, doceri tunc quænam sit doctrinæ sinceritas ab Ecclesia, quum nescitur aut non creditur esse Ecclesia. Certè, Chamiere, vel non es talis, qualem te vulgus fratrum existimat: vel non eras apud te, cum hæc scriberes: & malo credere incogitanter tibi excidisse, quam quippiam de tua existimatione detrahere. Dic mihi, amabo te, quàm autoritatem erga eos habet Ecclesia, qui non illam vt Ecclesiam agnoscunt, vt solo suo testimonio illos inducat credere, hanc, vel illam esse Catholicam orthodoxam doctrinam? Tu, Chamiere, non credis Rom. Ecclesiam esse Catholicam, quanti ponderis ac momenti apud te est Ro. Eccl. autoritas, ad aliquid tibi persuadendum? te ipsum in testem appello. Vestra Ecclesia non est Catholica: certo certius est, nec nos Catholici illã talẽ esse credimus, puta nos vel minimum commouet eius autoritas ad veram fidem & religionem eiurandam? Exemplum porro quod adfers de conuersis à Petro Apostolo prima sua cõcione, non iuuat causam tuã. Nam primum illi quibus cum agebat Petrus, non ignorabant in Petro, & iis qui cum illo erant, esse Ecclesiam Christi. Verùm quia ante conuersionem non existimabant Ecclesiam Christi esse verã Ecclesiam; addo nõ vsum fuisse Petrum autoritate Ecclesiæ, ad fidẽ illis hominibus persuadendã, sed de peculiari mysterio redẽptionis agebat, idq; ex Scripturis veteris Testamenti, quod nobis cum Iudæis cõmune est, Apostolus demõstrabat: neque necessariũ est in omnibus & singulis statim ad autoritatem Ecclesiæ appellare, cum multa alia suppetant, vnde sumi possint argumenta: in eam tamen vltimo fit contro-

controuersiarum fidei resolutio. Neque tu probè argumentaris, cum ais, Sermo Petri effecit vt illi fidem in Christum conciperent, & consequenter crederent Ecclesiam esse veram Ecclesiam: quia hoc vnum ex creditis est, Ergo sermo est nota Ecclesiæ. Puto intelligere te huius consequentiæ absurditatẽ: narrat mihi aliquis domi esse ignem, cui ego assentior, ineptè is appellatur, vel eius testimoniũ, nota ignis. Ex illa autem prima Petri concione, per quam effectum est, vt tria millia hominum Christi fidem susceperint, melius potuisses colligere, indiciũ certum & euidens veræ Ecclesiæ, esse fidem ex auditu, in hunc modum. Illa est Ecclesia Dei, in qua nemo est aut fuit, qui non crediderit fidei ætate sua annunciatæ, & per manus à maioribus acceptæ & auditæ. At Romana talis est, vt rectè ostendit Bozius lib.3. de not.c.2. non vestra, vt ex vestro ipsorum testimonio constat. Nam Lutherus in lib. de seruo Ar. Affirmat Dionys. Areopag. Iren. Clem. Cypr. Arnob. quorum doctrinam in caussa liberi arbitrij, à maioribus traditam, & per os Ecclesiæ annunciatã audiuimus, Patres tot seculorum penè omnes cæcutisse, imperitissimos fuisse sacrarum literarũ: & quæ de libero arbitrio scripserunt, solum stylo, animo peregrinante asseruisse: denique tota vita errantes, nisi ante mortẽ reducti fuerint, neque sanctos fuisse, neque ad Ecclesiam pertinere. Idem in lib. de capt. Bab.c.1. Si nihil habetur, inquit, quod dicatur, tutius est omnia negare, quam Missam sacrificiũ esse concedere. Et lib. de Abr. Missæ, ait se non curare, quid Patres de Missa dixerint. Et lib. contra regem Angl. se nihil curare, si mille Augustini, & mille Cypriani contra se stent. Ioan. Vvigandus vnus ex Centuria-

torib⁹ in lib. de bonis & malis Germaniæ: Secũdum, inquit, bonũ ſeu beneficiũ eſt, præcipuorũ articulorum fidei illuſtratio, qualis ab Apoſtolorum temporibus hucuſque in hoc mundo non eſt cognita. Vult ergo iſte homo doctrinam Lutheri, non modo ante illum auditam non fuiſſe, ſed neque cognitam. Pergit. Diſcrimen enim Legis & Euangelij obliteratum fuit poſt Apoſtolorum tempora (ergo neque auditum) ſed per Lutheri miniſterium dilucidè explicatum. Et paullo poſt, Totum corpus doctrinæ cœleſtis, eſt à Theologis Germaniæ traditũ, quale in omnium Patrum ſcriptis poſt Apoſtolos nullum inuenitur. En nouitatem veſtram, quam tu ſuperius tantoperè reformidabas. At fortaſſe non ſubſcriberes Lutheranis. Audiamus Caluinum magnum magiſtrum tuum: Is lib. 4. Inſtit. c. 9. §. 10. ita ſcribit: Etiam in antiquis libris, & purioribus cõciliis, eſt quod iure deſideres, vel quod eruditi alioquin & prudentes viri, qui tum aderant præſentibus negotiis diſtricti, multa alia non proſpiciebant: vel quod grauioribus & magis ſeriis occupatos, nonnulla leuioris momenti ſubterfugiebant, vel quod ſimpliciter vt homines, imperitia falli poterant, vel quod nimio affectu præcipites ferebantur. Et lib. 4. c. 8. §. 7. addit, Deum omnes docendi partes in Filio impleuiſſe, neque poſt hæc, vt antea, ſubinde per alios atque alios loquuturum, ideóque omnium hominum ora clauſa eſſe nũc debere; poſtquam ſemel loquutus eſt ille, in quo omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ eſſent abſconditi. (Ergo fides non ex auditu.) Itẽ, non ſolùm ſingulis paſtoribus negatur illa poteſtas, vt certam ſibi fidem haberi iure poſtulẽt, quia permittitur vt loquentibus Prophetis duobus

aut

aut tribus ceteri diiu licēt: verùm etiā,toti Ecclesiæ hoc negatur,quia ad Rom. 10. dicitur fides ex auditu,auditus autem per verbum Dei. Ergo à ſolo Dei verbo pēdet fides. Miſeret me Caluini tui, Chamiere,qui ea pro ſe affert,quæ faciunt cōtra ipſum euidētiſſimè. verbū eſt quod ore profertur, auditus eſt per aures:quorſum igitur, quod oris eſt traducit ad ſcripta,& quod eſt auditus, transfert ad libros? Apoſtolus planè vult,nos attendere Doctribus Eccleſię; aures ipſis dare,fidémq. eſſe ex auditu nō lectione, per verbū, nō per ſcripta. Non clauſit Chriſtus ora hominū, ſed,vbi aſcendit in cœlum, diuiſit linguas igneas,nō occluſas ore,ſed in aperto, vt quilibet audire poſſit,inſidentes ſuper capitibus Apoſtolorum, & vniuerſorū diſcipulorū,& quidē igneas, nūquam ſcilicet conſiſtentes, ſed verba ſemper faciētes. Sed veſtra iſthæc vanitas eſt, & impoſtura, vt cùm vos iactetis ſanctorum patrum veſtigiis ſtudioſiſſimè inſiſtere, reipſa tamen omnem illorum autoritatem veſtris placitis ac commentis affixi, contemnatis. Annon auſus eſt affirmare Caluinus lib.4. Inſt.c.18. §.12. vetuſtiſſimos patres in ſacrificio Miſſæ imitatos propiùs eſſe Iudaicū ſacrificandi morem, quàm quod Chriſtus inſtituerat, aut Euangelij ratio ferebat? Et lib.3. cap. 3.§.16. in deſcribendis pœnitentiæ fructibus, dupliciter modum exceſſiſſe. Et lib.3.c.5. §.10. in quæſtione de precibus pro defunctis mandato Dei & legitimo exemplo deſtitutos fuiſſe, abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi impœnitentiæ dederunt? Nunc ad te redeamus, Chamiere: conſuluiſti Iren. & Tertullian. quos citaui,& neutrū fauere cauſſę meę aſſeris: at verba illorum clariora ſunt, quàm vt à te eludi

possint. Quid enim illustrius dici potest, ad ostendendum doctrinæ sinceritatem ex Ecclesia discendam esse, quam quod Iren. lib. 3. c. 4. Si de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset, nónne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias? Et quod habet Tertul. lib. de prescr. Quid prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelarit, hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. Niteris tamen verbis tuis tenebras offundere. Quas, ais, vterque Ecclesias nominat? primum particulares: at nos disputamus non de indiuiduis, sed de ipsa specie, hoc est, Ecclesia, sub qua sint omnes indiuiduæ Ecclesiæ: nō sequitur autem, vt si in indiuiduis agnosci possit doctrinæ veritas, ideo hæc non sit Ecclesiæ nota: quēadmodum etsi in singulis hominibus ratio possit agnosci, non ideo ratio non est nota hominis. Quod ex his ostendas verba Iren. & Tertul. mihi non suffragari, ego profectò, ingenuè fateor, intelligere nō possum. Videbit qui oculatior erit. Interim nolo dissimulare ineptias tuas: Non disputamus, inquis, de indiuidua Ecclesia, sed de specie. φεῦ κεραυνοχυτρολήραιον! Ecclesia Catholica, Chamiere, non est totum vniuersale, vt homo continens sub se multa indiuidua, sed totum integrale, cuius partes non sunt indiuiduæ. Norunt hoc tyrones Dialectici. Præterea species & reliqua vniuersalia, mentis tantum ope existunt, non sunt visibilia: at Ecclesia, de qua disputamus in terris, peregrinatur, & visibilis est, vt priori tua propositione asserebas: quare illa non est species. Adde quod re vera Ecclesia Christi est indiuidua Ecclesia, distincta ab omnibus aliis Ecclesiis, seu conuentibus hominum, sicut resp. Gallorū est,

vna

vna numero Resp. à Rep. Anglorum & ceteris diuersa. Sed acumē tuum magis prodis, cum ais, rationem esse notam hominis, & sic doctrinæ veritatem esse notam Ecclesiæ: Ergo per te essentia & definitio alicuius rei erit ipsius nota atque indicium: ergo eadem prorsus quæstio est de definitione Ecclesiæ, & de notis Ecclesię: & idem est quærere quid sit Ecclesia, & quo indicio, qua tessera, quo signo cognoscatur Ecclesia. At nemo non videt, quam sint hæ quæstiones diuersæ: Nota enim est aliquid externũ & aduentitium ei rei cuius est nota, ab illa omnino distinctum, quod illam quasi oculis subiicit: at definitio non aliud est quã ipsum definitũ, & cognitu difficillima. Adde quod definitiones rerum vniuersarum sunt, non singularium, qualem iam diximus esse Christi Ecclesiam. Nihil enim vetat totum aliquod integrale, multas sub se partes complectens esse vnũ numero. Nominãt præterea illi patres, ais, Ecclesias antiquissimas & Apostolicas, quæ ab ipso Apostolorum ore doctrinam acceperunt: at nos loquimur de agnoscenda Ecclesia, non ea quæ diu fuit ante nos. Consta tibi, Chamiere: modò dicebas agere te, non de in diuidua Ecclesia, sed de ipsa specie. Putas tu, alias fuisse rerũ species à mũdi exordio, quam nunc sunt? Exempli causa, aliam speciem hominis, aliam bouis? Et audiuisti vnquam in scholis vniuersalia nullam includere temporis differẽtiam: in eis non haberi rationem præsentis, præteriti, vel futuri: quia semper eodem modo se habeant? quid ergo hic distinguis tempora? Sed esto: Ecclesia indiuidua, vt est, quod non intellexisti, an tu existimas aliam fuisse Ecclesiã Christi temporibus Apostolorum, aliam quæ nunc est? fuge credere: eadem

omnino est quoad rationem suam formalem, vt in schola loquimur. Persistit hactenus, perstat & perstabit vsque in finem seculi, quia portæ inferi non prçualebunt aduersus eam. Ipsum materiale Ecclesiæ, nempe, hi vel illi homines, hæ ciuitates, hęc templa, & siqua sunt huiusmodi mutari ac variari possunt, immutata nihilominus Ecclesia quoad naturā suam permanet, quemadmodum fluit perenni & concitato cursu aqua in Rhodano, & vetere diffluente noua semper succedit: idem tamen semper est Rhodanus. Quocirca, si de Ecclesia Christi rectè sentiebant Iren. & Tertul. ab ea discendam esse doctrinæ sinceritatem, idipsum & nos de Ecclesia quæ adhuc viget, quæcunque tandem illa sit, sentire debemus. Ad id quod dixeram, veram prædicationem esse interpretationem scripturæ diuinæ: quæ sit autē vera scriptura, & quis eius bonus sensus, nos discere ex Ecclesiæ duntaxat testimonio: duo respōdes: primò, te non esse loquutum de verbi prædicatione, sed de ipso verbo. Quid dixisti De ipso verbo? esse notam Ecclesiæ? ipsa Biblia sacra? quomodo? in arca, in musæo recondita; facetus es, & tibi iterum non constas. Quorsum enim superiùs dixisti primā Petri concionē effecisse vt illi agnoscerent Ecclesiam, qui per illam ad fidem conuersi sunt, id est, fuisse illis notam Ecclesiæ, si non vera prædicatio verbi, sed ipsum verbum mutum, vel scriptum nota est? Multiplicas deinde verba, & nihil dicis contra me. Non nego huius vel illius priuati hominis prædicationem ad scripturam quæ vna est ex fidei regulis, esse exigendam, quando de ipsa Scriptura quęstio nō est: & ita rectè Act. 17. 11. Beroenses, quotidie scrutabantur Scripturas, an quæ Paulus & Silas dicebant, ita

se

ſe haberent: quia nimirum inter Paulum & illos quibuſcum diſſerebat, conſtabat de Scriptura veteris Teſtamenti. Sed ſi de ipſa Scriptura lis eſt, alium iudicem qui vltimo iudicio litem dirimere ac definire poſsit, quam Eccleſiam non habemus. cui veritati nihil obſunt quæ ex Aug. ep.19.& lib de vnit. Eccl.c.10. attuliſti. Non enim ita iurauimus in verba huius vel illius, vt quicquid dixerit, verum putemus: ideo tantum, quia ſic ille ſenſerit, nec Epiſcopis conſentiendum exiſtimamus, ſicubi contra canonicas Scripturas aliquid ſentiant.

Sed exciderat mihi ferme præclara illa comparatio tua. Accepimus, inquis, à magiſtris pueri, Dialecticæ præcepta. Sed quæ ſit vera Dialectica, & quis eius præceptorum verus ſenſus, ex teſtimonio magiſtrorum duntaxat nos diſcere ſi quis affirmet, hunc ego vix habeo pro ſano. Quid vis concludere? ſic opinor, Ergo tametſi ab Eccleſia Scripturas acceperimus: aliunde tamen verum eius ſenſum & interpretationem conquirere debemus. Quid? eandem tu doctrinæ fidei & ſcientiarũ rationẽ eſſe exiſtimas? Noſtin quid ſit credere, quid ſcire? In ſcientiis oportet diſcentes credere, at poſtquam didicerint, liberum illis eſt iudicium ſuum interponere, & magiſtrorum placitis aſſentire, ſi eis conſentanea videantur, ſin minus diſſentire. At in doctrina fidei & addiſcentem credere, & poſtquam didicit, credere itẽ neceſſe eſt, id eſt, Dei per Eccleſiã reuelãtis autoritate niti. Ita, inquã, neceſſe eſt autoritate niti, vt ſi quid, quod ratione naturali inueſtigari & inueniri poſſit, fide credẽdũ proponatur, ab iis nõ credatur qui rationẽ norũt, ſed ſit quoddã quaſi preãbulũ ad fidẽ vel certè eaten⁹ ad fidẽ nõ ſpectet quatenus ratione

cõcluditur.Hoc ratio,hoc natura fidei,quã declaraui Apoſt.Heb.11.argumẽtũ nõ apparẽtiũ, poſtulat, nõ enim ſpectat fides naturæ ordinem,non ſenſuum fidei experiẽtię,nõ poteſtate,vel ratione humana,ſed virtute & autoritate Dei nititur,per Eccleſiã nobis explicata. Præclarè Baſil. in Pſ.115, Fides, inquit, ſi ſubſtantia earum eſt, quæ ſperantur, rerum, & eorum, quæ non videntur, argumentum, ne mihi tu anxius contendas videre iam, quæ longiore ſepoſita ſunt interuallo, neu quæ ſperas te olim conſequuturum, in ambiguam reuoces dubiámve partem, quod ad ea nõdũ potueris certa ratione pertingere. Hic ſuo ipſius indicio perit ſorex. Prodidiſti apertiſſimè qui ſis, Chamiere, & quales ſint omnes qui tecum ſentiunt. Gloriamini inaniter de nomine fidelium in Chriſto,& ne hilum quidem habetis fidei qui auſi fueritis os in cœlum ponere,veſtro pede omnia metiri, ad veſtri iudicij & ingenij regulã exigere vniuerſa. Hinc hereſes, hinc ſchiſmata originem traxerunt, quod S.Martyr Cypr.lib.1.ep.3.ad Cornelium ſcitè demonſtrat. Neque enim, inquit, hereſes aliunde obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum Sacerdotum collegium quicquã moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iam non Epiſcopi,ſed Dei faceret:nemo diſsidio vnitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet:nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſim foris hereſim nouam conderet. Hæc Cypr.I,iam, & fidei doctrinam

Dia-

Dialecticæ præceptis compara.

Transis ad secundũ argumentũ meum, inde petitum, quod sinceritatẽ doctrinę omnes sibi sectæ vẽdicent, ac proinde nõ posit esse Ecclesiæ nota, quia nimirũ notæ alicuius rei non tantum re vera propriæ esse debent eius, cuius dicuntur notæ, sed etiam hominum opinione. Hoc cum legi, ais, non potui continere risum. Risus quidem ille Megaricus, qui nisi caueris te faciet μωρότερον μαλητίδου. Hui, Chamiere, tam facile rides! profecto prudentis hominis indiciũ non est, ridere sine causa. At hic, quid risu dignum est? crassum sophisma est, ais. Et quomodo vocatur illud sophisma? appella si nosti. Quid? ais: nõ erit suus pulchritudini decor, quia cum fuco illitæ genę mentiuntur? non erit, suum auro pretium, quia auri fulgorem aurichalcum imitatur? Non erat Lutetia his proximis annis in nostri Regis ditione, quia eam suam Hispanus iactabat? Non hæc dico: frustra tot verba cõgeris. Distingue mihi, obsecro, in hisce exemplis tuis, signa & res signatas, siue notas & res quarum sunt notæ. Putas me adeo desipere, vt existimem quod verè tuum vel meum est, desinere esse tuum vel meum, quia alius id sibi contra fas vsurpare tentat? Id tantum dixi non posse esse propterea notam Ecclesiæ, quod quia tibi adeo ridiculum visum est, apertius declarabo. Faciamus infidelem aliquem, siue Iudæum, siue Turcam, siue quencunque alium Barbarum diuinitus commotum abiurare velle perfidiã suam, & statuisse adiungere se Christi Ecclesiæ. Egressus de domo & cognatione sua venit in Germaniam, interrogat Zuinglianos, Lutheranos, Hussitas, Anabaptistas, & harũ omnium sectarum quascunque factiones, quęnã sit vera Christi

Ecclesia: respondet vno ore eam esse quæ sinceritatem doctrinæ retinet: quisque deinde suam tantum Ecclesiam talem esse asseuerabit. Quid hic faciat iste homo rudis, imperitus, illiteratus? quò se recipiet, quum animaduertat omnes eiusmodi sectarios æquè sibi verã doctrinam, & Ecclesiæ autoritatem vendicare? nõ diiudicare ipse per se potest verã doctrinã à falsa. Si velis illi explicare, & de rebus cõtrouersis, puta de iustificatione, de Sacramẽtis, de meritis, illũ edocere, quæ sentẽtia sit verisimilior, nõ magnopere illũ iuuas: fieri enim nõ potest, vt homo illiterat' de iis rectè iudicet, quas vix Theologi multorũ annorum spatio in scholis discere non potuerunt. Quid igitur talibus facias? Ad scholás-ne omnes ducendi sunt, vt inde cum intellexerint doctrinæ veritatẽ, deduci demum eius notæ beneficio ad veram Ecclesiam posſint? Ex his perspicuum est falsum esse quod subdidisti, facillimũ esse mendacij coarguere hereticos, cum veritatẽ audacisſimè iactãt. Testimoniũ porro quod affers ex Hom. 49. aut imperf. in Matth. non est à te: cum enim ait nõ cognosci nunc Ecclesiã, nisi per scripturas, nõ vult ipsas scripturas esse notã Ecclesiæ: nã inter alia cõmunia Catholicis & hereticis quæ numerat, Scripturas ipsas ponit: vnde, si illæ notæ essent Ecclesiæ, nõ magis Catholicã quã hereticorum cõuẽticula notarẽt. Quid ergo vult? cum cõstet de scripturis inter Catholicos & hereticos saltẽ maxima ex parte, quia vtrique illas habẽt, ex Scripturis cognoscenda est Ecclesia: quin nimirum ex illis deducuntur & colliguntur veræ Ecclesiæ notæ. In refutatione tertij mei argumẽti quo colligebam sincerã doctrinã nõ
posse

posse esse Ecclesiæ notã, quia Ecclesiæ aliquæ nomẽ & rẽ Ecclesiæ retinuerũt, tametsi doctrinæ puritatẽ aliquãdo minimè retinuerint: asseris in summa, sinceritatem doctrinæ nõ sitã esse in indiuisibili, sed magnã habere latitudinẽ: ideóque quandiu remanet aliqua ex parte, in aliquo cœtu doctrinæ sinceritas, tãdiu ex eo capite posse eiusmodi cœtũ verã Ecclesiã cẽseri. Exẽplũ adfers ad hãc rẽ minimè accõmodatũ. Hominis propria nota, inquis, est ratio, vnde eius definitio cõponitur, Animal rationale, & tamẽ nõ omnes homines æqualiter vti ratione, ipsa testatur experientia. Ab actu primo transis ad actum secundum: Ratio quæ hominis definitionẽ ingreditur, est essentialis hominis differẽtia, eadẽ prorsus in omnibus hominibus elationem nõ sumens, neque remissionẽ, nisi velis vnum hominẽ magis esse hominẽ quã alium. Ipsum verò ratione vti in actu secundo vel ratiocinari, quod non est de hominis definitione, inæquale esse in hominibus experiẽtia docet. Sed mittamus exẽplũ: Fidei doctrinæ sinceritas ex parte, satis est, vt aliqua Ecclesia retineat verè nomen Ecclesiæ. Itáne verò, Chamiere? Ergo nostra Ecclesia, omnes hereticorum sectę & conuenticula, nõ solum opinione sua, sed re etiam vera, sunt vera Ecclesia? Nulla enim heresis vsque adeo nefanda ac detestabilis hactenus fuit, quæ non in aliquo verum retinuerit. Erant nihilominus Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum, quas reprehendit Apostolus, tametsi errabant in aliquo, vera Ecclesia, quia non obstinatè errabant.

Superest quartum argumentum, quo ostendebam sinceritatem doctrinæ posse esse in falsa Ecclesia nimirũ schismatica. Respõdes primò, doctrinã &

Sacramenta te nominasse, non quæ singulæ seorsim Ecclesiam legitimam describant, sed quæ separari nolint. Semper hic erras, Chamiere Notæ. non debent describere, seu definire, id cuius sunt notæ, sed signare, seu notare, quomodo fumus ignem denotat, & hedera appensa vinum venale. Pergis: At apud Schismaticos puros, si non desit doctrinæ puritas, certè deest Sacramentorum sinceritas, quia vnum ex præcipuis capitibus vsus Sacramentorum est, quo testantur fideles suam inter se sub Christo coniunctionem. Verba hæc tantum sunt, Chamiere. Non magis repugnat schisma, per se sumptum Sacramentorum vsui, quàm veritati doctrinæ. Quid? nónne in schismate adhiberi possunt verbum, elementum, & reliqua omnia quæ ad naturam Sacramentorum pertinent? Quare ergo non erit legitimus vsus Sacramentorum inter schismaticos? Non violatur Baptismus, verbi caussa, ab hereticis (nam verum & legitimum Baptismum conferunt, nisi tales sint qui in ea materia errent) & violabitur ab schismaticis? At nulli sunt, vel tales fuerunt schismatici, qui in doctrina nihil immutarint. certè. Nã schismatici, vt suæ discessionis aliquam excusationem prætendant, & videantur non immerito schisma fecisse in heresin delabuntur, sicut hæretici in Atheismum. Anglia primum sub Henrico viij Schismatica fuit, nunc talis est, qualẽ omnes norunt.

Ex his liquidò cõstat nullas prorsus esse solutiones tuas meorum argumentorum, quibus probaueram notas Ecclesiæ non posse esse sinceritatem doctrinæ & legitimum vsum Sacramentorum, ac proinde vim omnẽ suã adhuc ac momentũ retinere. Verùm demus te id effecisse (vide quam tecum agam liberaliter

liter) & firmissimis rationibus comprobasse, quid propterea assecutus es? vestram Ecclesiam esse veram Ecclesiam, nostram nō esse? minimè verò. Non enim dum nego in sinceritate doctrinæ & Sacramentorum esse notas Ecclesiæ, propterea admitto in vestra synagoga eiusmodi qualitates reperiri; in nostra Ecclesia non item. Sed hæc vestra calliditas fuit, vt cùm non possitis effugere quæstionem de vera Ecclesia, quod maximè velletis, ne videlicet eius autoritate conuincamini, quod proximum est efficere studuistis, nempe vt propemodum infinita quæstio illa sit, vixque vllum exitum habere queat, dum in quæstione de vera doctrina opponi vobis non potest Ecclesiæ testimonium, quod maximè ad id necessarium est; quandoquidem prius decerni vultis, quænam sit vera doctrina, quam constituatur quisnam hominum cœtus, sit vera Ecclesia. Hoc est, Chamiere, vadimonium ampliare, & cum ad tribunal ventum est, facere iudicis reiectionem.

Alterum disputationis caput de secūda thesi continet in primis multa maledicta, & inania verba, quę lubens prætereo; quia tecum nec verbis, nec maledictis volo contendere. Tum ad probandam corruptionem doctrinæ Eccl. Rom. vnum affers ex Costero Enchirid. c. de cœlib. propos. 9. Sacerdos, ait Costerus, si fornicetur, aut domi concubinā foueat, tametsi graui sacrilegio sese obstringat, grauius tamen peccat, si contrahat matrimonium. Atqui id est, ais, contra doctrinam Christi & Apostolorum, Hebr. 13. 4. 1. Tim. 3. 2. contra doctrinam Conc. Gangrensis, contra doctrinam Patrum. Hic mihi venit in mētem eius Sciamachiæ, quam tui similibus obiicit Campianus martyr, scribens Anglis Academi-

cis, quæ auras, inquit, & vmbras magno conatu diuerberat: Contra cœlibes iuratos, & votos in castimoniam, quod nuptiæ bonæ sint, virginitas melior, afferuntur scripturæ loquentes honorificè de coniugio, quem feriunt? Certè non feriunt nos, Chamiere, qui honorificentius multo quàm vos & loquimur, & sentimus de matrimonio Christianorum. Imò proptereà Costerus grauius peccare asseruit Sacerdotem matrimonium contrahentem, quàm fouentem concubinam: quia matrimonij Sacramento abutitur, cum inhabilis sit ad illud contrahendum, quod non facit concubinarius. Si bona fide agere voluisses, debuisses probare liberum esse sacerdotibus, & aliis qui solenne castitatis votum emiserunt coniugia celebrare, & tunc demum illa matrimonij encomia, Græcè, Latinè, vt libuisset in medium afferre. Habés, vt ais, Bellarminum, lege, si placet, quæ ille habet controu. 5. generali lib. 1. de cler. c. 18. vbi accuratè probat votum continentiæ, ita esse connexum sacris ordinibus, vt nec ducere vxores, nec vxoribus antea ductis vti liceat sacerdotibus post ordinationē; positiuō quidē iure, sed antiquissimo, & æquissimo, & quod nullo modo expediat, vt hoc tēpore relaxatur. Hoc, inquam, probat ex autoritate scripturarum, definitione Conciliorum, quæ in Oriente, Africa, Italia, Gallia, Hispania, Germania celebrata sunt, respōsis veterum Pontificum, Patrum, cùm Græcorum, tum Latinorum testimoniis, & denique firmissima ratione. Tribus deinde capitibus sequentibus, argumenta Caluini, Melanchtonis, & Magdeburgensium rectè dissoluit. Si quid est quod minus satisfaciat, obiice non grauatè respondebo.

Ad illud quod affers ex Hebr. 13. 4. Honorabile coniugium

coniugium in omnibus; ergo infers, etiam inter Sacerdotes honorabile erit: ergo, inferam ego nō ineptius quàm tu, etiam inter consanguineos in primo & secundo gradu: & inter adolescentes contrahentes iniussu parentum, quæ vtraque coniugia ipsemet Caluinus damnat. Quare τὸ ἐν πᾶσι, rectè ait Bellarm. idem esse, quod omni ex parte, id est, coniugium honorabile est in omnibus quæ coniugij sunt, siue Sacramētum, siue fidem, siue prolem consideres: sic explicat Oecum. in eum locum. Vel secundo, in omnibus, id est, apud omnes: quia nemo debet coniugium reprehendere, etiamsi virginitatem ipse profiteatur. Ita Fulg. lib. de fid. ad Pet. c. 3. vel denique in omnibus, id est in omnibus legitimè coniunctis, quicunque illi sint, siue senes, siue iuuenes, siue nobiles, siue obscuri. Ad illud 1. Tim. 3. 2. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum. Respondeo ex S. Chrysost. & aliis Patribus in hunc locum, negatiuè illa verba, vnius vxoris virum, esse intelligenda, vt sit sensus, Episcopum non debere habuisse plures vxores, ad arcendos nimirum digamos à ministerio Ecclesiastico. Neque existimo ita te desipere, vt hoc tanquam præceptum Apostolicum accipias, tum quia idem Apost. 1. Cor. 7. vniuersè docet beatiores esse qui cœlibes permanserint, idque omnibus consulit. tum quia quotquot hactenus Episcopi vel presbyteri sācti fuerūt à tēporibus Apostolorū, quorū vitā habemus, vel quos vnquā laudatos, audiuimus, continentiā perpetuā seruauerūt: neque vllū exemplū in contrariū ex approbato aliquo autore afferri potest. De vobis ego nihil dico, qui ad vestrū ministeriū plurium vxorum viros admittitis, in quo apertissimè signi-

ficatis, ea verba non esse, vt præceptum Apostolicum accipienda. At illud ex Cõcil.Gangren. respondeo: can. 4. cuius initium citasti sic habet, Quicunque discernit à Presbytero qui vxorẽ habuit, quod non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit. Hic anathemate feriuntur, qui putant matrimonium ex se esse malum, ac propterea non licere sacra facere ei qui vxorem habuit, etiam si ab illa se contineat; quod nobis minimè aduersatur. At ait Paphnut. assentiente Nicæna synodo, inquis, congressum cum vxore esse castitatem. Ergo quid? mirabilis es Chamiere. Proba primum sacrilegas Sacerdotum nuptias, esse verum ac legitimum matrimonium. Sed alia multa confingitis vos de isto Paphnut. quæ nolo retexere. Vide quàm appositè ad omnia respon. Bellarm. Ad illud ex Concil. Neocæs. respondeo, nõ sequi: Grauior pœna decernitur fornicanti, vel adulteranti Sacerdoti, quam vxorem ducenti: ergo grauius scelus est adulterium vel fornicatio Sacerdotis, quàm nuptiæ eiusdem. Nam lege ciuili magis puniuntur latrones & homicidæ, quàm blasphemi & heretici, in aliquibus regionibus: at heresis & blasphemia atrocitate longè superant furtum & homicidium. Vide igitur, Chamiere, non esse contra doctrinam Christi, nec Apostolorum, nec contra Concilia, nec contra Patres, imò iis omnibus maximè consentaneum, quod asseruit Costerus, grauius peccare Sacerdotem qui vxorem duxit, eo qui fornicatur vel domi concubinam fouet.

Neque meliori iure reprehendis quod sanctissimè instituit Ecclesia Eucharistiam in altera tantum specie, nempe panis laicis communiter esse conferendam.

dam.Non instituam hîc longam de hac re disputationem.Si sicut verbo fateris, paratus esses ad dediscendum, quicquid tibi argumentorum vi probabitur esse dediscendum, abundè hoc præstitit Bellar. 2.controu.lib. 4.de sacram.Euch.à c.20.ad 28.inclusiuè:& si qua in re minus animo tuo satisfecit, tuæ erat prudentiæ & candoris id mihi peculiariter notare.Primum c. 23. docet non maiorem vtilitatem sumi ex communione sub vtraque specie, quàm sub vna.c.24. non pugnare cum diuinis literis, seu cum Christi mandato, communionem sub vna specie. Imò verò pugnat,ais, Bibite ex hoc omnes, Matth. 26. At hoc argumentum & alia similia rectè diluit c. 25. nempe eiusmodi verba solis Apostolis dicta fuisse,qui tũ cũ Christo discumbebant: & probat, quia particula (omnes) non semper in Scriptura sumitur vniuersalissimè pro omnibus omnino hominibus,sed sæpe pro omnibus certi alicuius generis; vt illud clamarunt omnes,Crucifige,crucifige eum, id est,omnes non simpliciter,sed qui ibi aderant.Sic etiam, Bibite ex eo omnes, id est, illi omnes quos Marcus refert bibisse, c. 14. Et biberunt ex eo omnes,qui erant soli Apostoli, vt ex ipsis Euangelistis constat, qui propterea numerum duodecim Apostolorum cum Christo in cœna accumbentiũ commemorarunt,vt intelligeremus nullos tum præterea assedisse. Cum autem ibi Apostoli fuerint non solum Christi fideles, verum etiam Sacerdotes, ac ministri Eucharistiæ deinceps conficiendæ à Christo instituti,interpretari possumus illa verba,Bibite ex eo omnes, illis dicta fuisse, & successoribus non propriè,quatenus Christi fideles sunt, quomodo omnes Christiani Apostolorum successores dici pos-

ſunt,ſed quatenus erant functuri munere ſacerdotali,quod ſic oſtendo. Eodem modo intelligere licet, ipſis à Chriſto dictum fuiſſe, Bibite ex eo omnes: quo dictum illis paulo ante fuerat, Hoc facite in meam commemorationem: eſt enim idem contextus ſermonis. Conſtat autem hæc verba,Hoc facite, &c. quadam ratione ad ipſos pertinuiſſe propriè quatenus inſtituebantur Sacerdotes & Euchariſtiæ miniſtri. Igitur hac eadem ratione intelligi poteſt ad eos dictum eſſe,Bibite ex eo omnes. Aſſumptio probatur. Nam illis verbis, Hoc facite, ex Patrum teſtimonio,& vos,opinor,etiam non negatis, fecit Chriſtus Dominus poteſtatem Apoſtolis benedicendi ſeu conſecrandi Euchariſtiam: quam functionem,non ad omnes fideles, ſed ad dilectos Eccleſiæ miniſtros pertinere ipſi etiam confitemini. Quocirca ratum id ſit,verba illa,Bibite ex eo omnes, dicta tantũmodo fuiſſe Apoſtolis & ſucceſſoribus, quando ſacerdotum munere funguntur & conſecrãt Euchariſtiam. Tunc autem non negamus quin teneantur ex præcepto diuino vtraque ſpecie communicare. Si plura vis de hoc argumento,præter Bellar.& antiquiores,lege Greg.de Valen.lib.de legit.vſu Eucha.c.2. In varias quidem partes ſe verſant magiſtri tui,vt efficiant non ſolis Apoſtolis,ſed omnibus omnino fidelibus dicta fuiſſe illa verba: ſed omnia eorum ſubterfugia & diuerticula planiſſima fecerũt Bellarm.& Greg.de Valen.cap.3.lib. Et ſi quid non ſatis planum eſt, vel aliud occurrit quod poſſis obiicere,profer in medium & planius fiet. Egregiè verò te imperitum hiſtoriæ & rituum Eccleſiæ antiquorum probas. τί γὰρ τοῦς ἀεὶ παλαιῶν, ait ille, quando ais perpetuum fuiſſe multorum ſeculorum vſum,

vtramque speciem laicis distribuendi? Etsi enim non negamus fuisse olim in vsu communionem sub vtraque specie: ita quoque multis modis compertum habemus communionem quoque alterius speciei vsurpatam in antiqua Ecclesia fuisse. Primo ex illo Act.2. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et Act.20. Vna autem Sabbathi cum conuenissemus ad frangendum panem, Paul. disputabat cum eis, protraxitque sermonem, &c. Secundo ex variis & antiquis Ecclesiæ ritibus, qui sunt asseruatio Sacramenti, communio domestica, communio infantium, communio ægrotorum, communio laica, communio ex præsanctificatis: quæ omnia fusè persequuntur Bellarm. lib. 4. cap. 24. Et Greg. c. 8.

Non plura à te exspectabam, Chamiere, sed confirmatiora: tua tamen culpa nõn est, agnosco, sed causæ tuæ imbecillitas, nisi summa culpa est eius, qui velit τὴν ἥττονα superiorem facere. Nosti enim quid de huiusmodi Socrates. Non stant amplius propositiones tuæ: imò nec steterunt vnquam, tametsi fortasse, quod etiam vix credo, tibi visæ sunt stare. Quin tu igitur moras omnes rumpis & te in Deum proiicis, Ecclesiæque sanctæ ex qua egressus es, restituis? Excipiet te mihi crede, vt mater amantissima filium iampridem mortuum reuiuiscentẽ, & pro peccatis veniã deprecãtẽ. Erras vehementer cũm ais, nos nobis testimonio dũtaxat nostro, nisi credi velle: qui nos & nostra norũt, lõgè aliter sentiunt. Illud quidem αὐτὸς ἔφα in rebus fidei vsurpamus, sed ad Deum nobis per Ecclesiam loquentem, vti par est, referimus. Imprudentissimè etiam, parentes

qui liberos ſuos noſtræ curæ committunt, non ſatis prudentes appellas. Quàm multos viros ſapientiſſimos,eruditiſſimos,rerúmque vſu præſtantiſſimos, omnium ordinum,hoc vno verbo perſtrinxiſti? qui hoc nomine liberos ſuos,nepotes,cognatos, affines beatos prædicant, quòd apud nos inſtituantur? & hanc maximè ob cauſam exſilium noſtrum, quod pro virili veſtra procuraſtis, apud regem noſtrum Chriſtianiſſimum, ſed Dei & Regis beneficio, in caſſum tantopere reformidabant. Næ Chamiere, tu magnæ prudentiæ vir es, qui imprudentiæ arguas prudentiſſimos ſupremi Senatus Gratianopolitani Præſides,Conſiliarios,Aduocatos Regios, & è præcipua Nobilitate totius Delphinatus viros;vt omittam alias prouincias : quia filios ſuos nobis commiſerunt, bonis literis ac moribus informandos. O ſi reſcirent!ô ſi iure tecum agerent!Quid vis amplius, Chamiere?Ipſi de grege tuo, qui gratia apud ipſum pro-regem plurimum poſſunt, aliqui rogarunt me per literas, alij per medios de me cognoſcere voluerunt,num eſſem libenter paſſurus,liberos eorum more ac ritu veſtro viuere; quos huc ad noſtras ſcholas mittere decernebant : Et hi etiam tuo iudicio imprudentes ſunt. Non credes, opinor, quod ſubjungam, ſed ipſemet cui contigit vir fide digniſſimus mihi retulit. Rogauit is, miniſtrum quendam Caluinianum,quem probè noſti,quid illi de Ieſuitis videretur. Ad hæc miniſter, de Religione inquit, nihil dico: at quod pertinet ad iuuentutis educationem,non habent pares.Et hic, Chamieri frater, & miniſter Euangelij nõ erit ſatis prudens. Non moror.

Veniamus nunc ad dubitationes ſcholaſticas, quas

quas quorſum ego tibi propoſuerim, non diſſimulaui, vt nimirum probarẽ, quàm magnus eſſes Theologus. Expendamus ergo paucis reſponſiones tuas. Prima dubitatio, Motis nobis mouentur omnia quę in nobis ſunt, quare ergo Deus qui in nobis eſt nobiſcum, non mouetur? Reſpõdet Chamierus, Deum eſſe infinitum, infinitum non moueri. Contrà, infinitum moueri non poteſt ad locum; at in loco ratio infiniti non impedit, quominus moueatur, vt ſi eſſet aqua infinita. Secundò, tametſi motu locali non moueretur infinitum, nónne aliqua mutatione affici poſſet? Quid vetat aerẽ infinitum ſi daretur, illuſtrari, caleſcere, refrigerari, vel ex toto, vel ex parte? Ratio cur videatur quod immenſum eſt, moueri loco non poſſe, eſt, quia moueretur cò vbi iam eſt, quod apparet eſſe ἀδύνατον: at exemplum habemus alicuius rei, quæ mouetur loco, ex accidente tamen, cò vbi iam eſt, nimirum anima: dum enim mouetur manus ad caput, anima quæ in manu eſt, ad motum manus mouetur: mouetur, inquam, ad caput, vbi eadem anima reperitur.

Secunda, Quomodo mundum in tempore Deus condiderit, illúmque hactenus gubernauerit, hodie hoc velit, illud nolit, cras alterum ſine ſui mutatione? Reſpondet Chamierus, in operibus Dei conſiderari, vel ipſam Dei voluntatem & poteſtatem, vel ipſam effectionem & effectum. Illas in Deo eſſe, nec mutari vnquam: hæc verò eſſe extra Deum, ac proinde non poſſe Deum immutare. Nihil dicis, Chamiere; Scio voluntatem & poteſtatem Dei non immutari, ſed quæro qua ratione id fiat, cum hodie velit hoc, nolit illud, cras alterum. An non cenſes velle, & nolle, eſſe actus immanentes voluntatis, &

ipsi voluntati inhærentes?

Tertia, Quomodo Deus ex non homine factus fuerit homo manens immutatus, cum reliqua omnia, facta minima accessione vel decessione mutentur? Respondet Chamierus, mutationem esse aliam absolutam, aliam relatiuam: illam propriè esse mutationem, hanc vero impropriè: hoc est, re vera non esse mutationem: absoluta mutatione falsum esse omnia mutari facta, vel minima accessione. Absolue, Chamiere, & accommoda distinctionem tuam rei de qua agitur. Quid vis dicere? mutatus est Deus accessione humanitatis, mutatione relatiua, an etiã absoluta, an neutra? pendet adhuc animus quodnam horum velis. Deinde, quid vocas mutationem relatiuam? quæ fit ad relationem per se? nulla talis est, vt est constans omnium philosophorum sententia, quæ fit in vno relatiuorum, quum mutatur alterum correlatiuum? vt cum paries dealbatur, & alius qui iam erat candidus, acquirit recens nouam similitudinem cum illo. At hanc quare negas esse re vera mutationẽ? id enim verè mutatũ est, quod alio modo re vera se habet nũc, quã prius: talis est hic paries, qui antea nõ erat similis, & nũc est. Tertiò, putás-ne humanã naturã esse relationem, vt possit existimari accessio humanitatis ad diuinitatẽ in Christo relatiua mutatio? Quarta, Deus Filius nõ habet paternitatẽ, nec vim generãdi, sicut Pater: quomodo ergo nõ est minus perfectus quã Pater? Respondet Chamierus, imperfectionem esse: attributa habere non sua: Esse autem Patris attributum generare; quod si Filius haberet, haberet attributum non suum. Dic sodes Chamiere, quid appellas attributum nõ suum? quod alicui rei natura sua non debetur? at habere

multa

multa, talia attributa imperfectio non est, imo summa perfectio, vt habere gratiam, & multa dona super-naturalia, & ipsam beatitudinem. Hæc enim omnia nobis non debētur. Quid ergo est attributum non suum? Perfectio alicuius rei particularis, puta lapidis, ferri? Sic sane imperfectio est habere nonnulla talia attributa non sua. Sed eiusmodi non sunt paternitas, & vis generandi in Deo, quæ sunt perfectiones simpliciter, vt ex eo patet, quod omnis res quæ Deus est, nō potest nō esse perfectissima & absolutissima: vis generandi & paternitas in Deo, Deus sunt igitur vtraque absolutissima & perfectissima est, quocirca habere talia attributa, imperfectio non est.

Quinta, Deus Pater vel genuit seipsum Deum, vel alium Deum. Respondet Chamierus, neutrum, sed aliam personam Deitatis. Probè respondisti, Chamiere: vide quam sincerè tecum agam. sed vnū verbum addere debueras, quare non gignat seipsum Deum, quum eundem numero Deum gignat.

Sexta, Contradicentia sunt hic, Deus generat, hic Deus non generat: vtra vera, vtra falsa est? Respondet Chamierus non esse contradictorias quia de diuersis personis intelligendas. Hic certè non bene, Chamiere: Nam tyrones Dialectici norunt illas propositiones esse contradicentes, quarum altera est vniuersalis, altera particularis, vel vtraque singularis, & altera ait, altera negat. In proposito vtraque singularis est, quia de termino singulari, hic De⁹ & altera ait, altera negat, generat, non generat. Quod autem ratione distinctarum personarum (diuersæ enim personæ diuinæ, propriè non dicuntur) vtraque vera esse posse videatur, hoc non tollit

cõtradictionem, ſicut hæc, Aliquis homo loquitur, aliquis homo non loquitur: non minus ſuo modo oppoſitæ ſunt, quod ratione huius qui loquitur, & illius qui non loquitur, veræ eſſe queant.

Septima, Quid ſibi vult Apoſt. Rom. 1. loquens de Christo: Qui prædeſtinat⁹ eſt Filius Dei? Diſtinguatur hîc ſubiectum prædeſtinationis à termino, vt oſtendatur quomodo ſit hoc illud prius. Reſpondet Chamierus, illud ὁρισθέντος, quo Paulus vtitur intelligendum ἀποδειχθέντος ἀποφανθέντος. Σκεπαστήριον eſt Chamiere, effugere voluiſti, non diluere difficultatem. Præuideram ſequuturum te eiuſmodi Græcorũ lectionem vnà cum Beza tuo, ſed ſperaueram etiam te non diſſimulaturum quod idem Beza habet in comm. ſuis in eum locum. Vulgata, inquit, prædeſtinatum conuertit, pro quo Origenes, mauult legere deſtinatum: quia prædeſtinatur qui nondum eſt: deſtinatur qui eſt. Sed hæc diſtinctio poteſt eo refelli, quod Chriſtus apertè dicitur προεγνωσμένος præordinatus, præcognitus, 1. Pet. 1.20. Quare quicquid ſit de lectione vulgata illo loco Rom. 1. (nolo in præſentia digredi, & quàm plurima afferre quæ poſſem ad illam tuendam) conſtat Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum. Imo S. Aug. lib. præd. Sanct. c. 15. ait nullum eſſe illuſtrius noſtræ prędeſtinationis exemplar, quàm Chriſti prædeſtinationem. Sicque manet adhuc tibi explicandum, quod quæſitum eſt, vt nimirum diſtinguas ſubiectum & terminũ iſtius prædeſtinationis, & explices quomodo vnũ altero poſſit eſſe pri⁹.

Hæc ocurrerunt, quæ obiicerem aduerſus præcipua capita ſcripti tui: nam ſingula ſi voluiſſem curioſius examinare, nondum eſſet finis. Non diſſimulaui, Chamiere, vim ſeu reſponſionum, ſeu argumentorum

torum tuorum: nō detorſi verba tua in contrarium ſenſum: obſecro, te, ſi ſecundò reſpondes, vt eodē iure mecum agas. Remiſi te nonnunquam ad auctores qui de re, qua de agimus, eruditiſsimè ſcripſerūt: primò, quia tibi facilius erit excuſa typis, quam manuſcripta legere: ſecundò, quia de induſtria vitare volui prolixitatem, & minus moleſtum mihi fuit loca indicare, quam hic inutiliter multa tranſcribere: tertiò, vt intelligeres verum eſſe quod prædixeram, vos nihil noui poſſe obiicere, ſed ea tantum, quibus ſexcenties abundè ſatisfactum eſt, importunè obtrudere. Si reſcribis, rogo te iterum, vt non diſsimules quæ à Bellarmino, quia volutas illum, vt fateris, & ab aliis vobis reſponſa ſunt, & noua aliqua argumenta proferēs, adduces me vt aliquid noui & ego reſpondeam: alioqui certè remittam te ad libros. Vale, Chamiere, & ſalutem animæ tuæ cura diligentius. Ex Academia noſtra Turnonenſi 6. Mayj. 1599.

I. ARMANDVS.

IGNATIO ARMANDO IESVITÆ DANIEL CHAMIERVS, CHRISTIANVS *Catholicus*.

AT ego iam tertio dico Ignati, non immerito exacerbari animum meum: vos enim eſſe idololatras, me autem veræ & orthodoxæ doctrinæ cultorem ac miniſtrum. Nec tamen mihi tantum arrogo, vt meo mihi ſolo verbo credi velim: niſi enim id argumentis certis euicero, facilè patiar vt audaciam, temeritatem, arrogantiā meam accuſes, atque adeo ſi quid tibi præterea ſplendida bilis

ſuggeſſerit. At enim tu vos ais idololatriam ex animo deteſtari: nempe, inquam, vt facetus olim neſcio quis adulteria negabat eſſe in ea ciuitate, in qua vxores eſſent promiſcuæ: vt vos etiam caſtitatis emporia appellatis monachorum veſtrorum ergaſtula, in quibus fornicatio præfertur legitimo matrimonio. Quod ſi etiam eos patres, ac parentes agnoſcitis, quorum opera idola ſunt ex toto orbe profligata, næ verè verum erit adagium, Heroum filij noxæ. certè enim, certè vos quantum cœlum à terra, tantum ab iis diſceſſiſtis, qui negabant ibi religionem eſſe, vbi vllum eſſet ſimulachrum, aut Deum in lapidibus coli velle: aut vllam omnino nobis Dei imaginem colendam quæ ipſa nõ eſſet Deus: aut cruces à Chriſtianis magis coli quàm optari. Nã eorũ qui in India & Iaponia inſula nunc diſcurſant, vt inueniant quem proſelytum faciant duplo nequiorem, nunquam negarim vos eſſe germaniſsimos fratres, adeo non eſt ouum ouo ſimilius. Sed nõ ſatis conſideratè facis, qui me propterea cæcũ appelles, quia idololatriam vocitem eum cultum, quem ſanctis, eorúmque imaginibus defertis & reliquiis: quum potius in memoriam tibi res ipſa reuocare debuiſſet illud Propheticum. Oculos habent & non vidẽt: ſimiles eis fiant quicunque fidunt in eis. Nos enim oculatiores ſumus quàm vos velletis, qui etiam in mediis veſtris tenebris, quæ horrore ſuo Cimmerias illas longè ſuperent, lucem potuerimus veritatis vſurpare. Greg. de Valen. nondum vidi equidem, ſed Richeomum anno integro legeram ante quàm mihi dono daret, ille tibi eo tantũ ſimilis Cotonus, quod eſtis ambo ſtrenui Ieſuitæ. Sed eum quum primũ legerẽ, hominẽ mirat⁹ ſum tam portentosè ine

ptum

ptum inter Iesuitas numerari, & prorsus dignum censui, qui idololatriæ patrocinium susciperet: Cotoni sortem miseratus, cui aut infeliciter fascinati parentes, aut scelerati magistri ita vitam finxerint, vt ei sit cum eo nebulone causa communis. Eras tu dignior, Cotone, qui intra Ecclesiam operam nauares asserendæ veritati, quam in heresi dementandis hominibus: es enim doctus, quod tibi cum Ignatio, esto sane commune, sed & modestus, quam ille tibi laudem reliquit integram. Quis scit tamē, an etiam sub vesperam sit te Deus, ille misericordiarum pater vocaturus? Certè etsi ita te in disputando geras, vt quilibet agnoscat Loyolæ discipulum, non crediderim malitiosè peccare: vt facilè sperem, si quando eas fraudes olfeceris, quibus tuum est corruptum non infelicissimum ingenium, statim ad Ecclesiam transiturum, quod alij ante te aliqui iam fecerunt. Sed ad rem redeo, vnde me Cotoni nomen abduxit ἐποικτείρω γενὴν ἔθ' οὕνεκ' ἄτῃ συγκατέζευκται κακῇ. Si vos aliud habetis nihil, Ignati, quā quod apud Richeomum legi addo etiam Richeomo longe dispares, Bellarminos, Costeros, Hayos, &, si pateris à vestro grege aliquantisper vt discedam, Alphonsos à Castro, Horantios, Panigarollas, alióśq; quos hactenus videre licuit, meum etiam Cotonum, nihil est quod verear ne quis me satis sanus sycophantam aut impostorem apellet, quoties ego vos idololatras.

Quum autem me veræ & orthodoxæ doctrinæ cultorem ministrúmque, ac si tuum patitur doctorale supercilium etiam doctorem ex Dei gratia inscriberem, quæ tibi causa potuit in mentem venire, vt me suspicareris non esse loquutum serio, aut ridiculū calumniareris? Atqui ita est vt dicis: ego eam

doctrinam appello Christianam Catholicam, quæ in Ecclesia Geneuensi ac nostris omnibus docetur: nec me in illa, pietati simul atque humanioribus literis aliquot annos operam dedisse ad pedes, cùm aliorum, tum magni illius etiam vobis crepantibus viri Theod. Bezæ, quē virum quia vos odistis cane peius & angue, eo magis honoris causa vt debeo, nomino, nunquā pœnitebit. Nec ab ea sententia, tuo me argumento vel tantillum dimoueri patiar: nō enim rectè negas Ecclesiam Geneuensem esse Catholicam, quo sensu olim singulæ Ecclesiæ dicebantur Catholicæ, pro Orthodoxis, ne tu me forte tuæ Babylonis insaniā ęmulari calūniéris, quę abs sese nō nisi precariò reliquas omnes Ecclesiæ nomen vult assumpsisse. Nam quod interrogas, ausímne dicere, vel etiam suspicari, eā in fidei & religionis instituto cum omnibus gentibus cōmunicare, credere, quod vbique quod ab omnib. nationibus, creditur, quorsum spectat quæso? nisi fortè hodie prorsus nullam esse velis Ecclesiam Catholicam: alioqui quam tu mihi dabis, quæ cum omnibus gentibus communicet? Tuámne? nam id tertio quoque verbo iactatis insolenter. Optimè: nisi ipsa iampridē à Græcis desciuisset: nisi ab ea hodie non exigua pars Christianitatis esset separata: Quid? quod non in fide & religionis instituto, sed in perfidia, & hæreseos pertinacia, communicat? Deinde, quem mihi fidei articulum potes designare, qui vbique, qui ab omnibus credatur? Neque id sanè tuus olim vrgebat Lyrinēsis, è quo vix tria verba miserè discerpens decerpsisti: sed duntaxat, id in primis tentandum volebat, si quo modo posset fieri: sin minus aliò diuertendum. Quid enim, inquiebat, faciet Christianus, si se aliqua Eccle-

Ecclesiæ particula ab vniuersalis Ecclesiæ communione præciderit? quid si nouella contagio, non iam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Nimirum didicerat ex ipso rerum euentu ea nonnunquam occurrere tempora, quum non possit Ecclesia Catholica iudicari ex communione cum omnibus gẽtibus. Arrianorum enim venenum non portiunculam quandam sed penè totum orbem contaminauerat: adeò vt propè cunctis Latini sermonis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret. Hæc ergo tempora quum incidunt, Lyrinensis autor est, vt antiquitati inhæreamus: atque in ipsa etiam antiquitate, eos seligamus, qui diuersis temporibus & locis, in vnius Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes magistri probabiles exstiterunt. Hæc illius mens est: imò hæc verba sunt, quæ mihi abundè sufficiunt quod tibi respondeam, quantumlibet Augustinum iactanti. In ea enim nos tempora deuenimus, quæ etiam excedant Arriani furoris confusionem. Non portiunculam vnam aut alteram error occupauit, sed totum corpus Apostasia auertit à vero Christo. Hic tu à nobis exigas communionem cum omnibus omnino gentibus? Nec tu sanus es, qui id quæras: & nos miseri si tibi obtemperemus. Sed eo modo Ecclesiam Geneuensem Catholicam probamus: quomodo Lyrinensis voluit: ex consensu Orthodoxæ antiquitatis, quo nos facilè nouellas vestras hereses reuincimus: quantumuis superbiatis magnifico illo Catholicæ Ecclesiæ elogio, quod ipsi vobis superbè arrogatis: plebs autem imperita & ignara

virtutis quæ eo nomine ſignificatur, inconſideratè tribuit, magiſque ex conſuetudinis tyrannide, quam ex merito veſtro. Eſtis enim, profectò eſtis heretici, aut nulli vnquam vſquam fuerunt hoc nomine digni homines. Quorſum autem tanto iactas boatu, eas omnes nationes, quæcunque de Chriſto aliquid vnquam audiuerunt, vel illum receperunt, ab Rom. Eccleſiæ filiis edoctas & inſtitutas fuiſſe? Quid? ne Hieroſolyma quidem excipis? non Iudæam? non Samariam? non Græciam? non Macedoniam? non Aſiam? non Indiam? non reliquas orbis partes, quæ edoctæ ſunt & inſtitutæ ab ipſis Apoſtolis, non iam filiis, ſed Patribus Eccl. Romanæ? Quis huiuſmodi iactantiam non rideat? aut quid tuus ille Bozius poteſt contra hiſtoriæ tam luculentam veritatem? Sed eius tamen paradoxa nos aliquando videbimus, ſi Deus dederit.

Lepidus es, quum negas tuos veritatem odiſſe. Veritatem ais per ſeſe odio haberi non poſſe, ſed tantum ratione quorundam, quæ ei adiunguntur: quod tum crediderim, quũ me vno abſolueris ſcrupulo, vnde ſit Diabolis odium in veritatem: itẽ altero, qui ſint illi quos Apoſt. vocat hereticos αὐτοκατακρίτους. Nam philoſophiæ quidem placita, vt in rebus humanis libens admiror: ſic in Theologicis, ac præſertim eo capite, quo explicatur peccati natura, non poſſum probare. Sed ex adiunctis tamen veritati, quomodo vos negas veritatem odiſſe? Quanquam hæc nõ ſola eſt odij in veritatem cauſa: & ego ignorationem nominaueram, qua vos craſſiſſima laboratis, ſi non laboratis malitia. Sed illud tamen quomodo probas? Nempe, quia nihil incommodi vobis euenire poſſit, ſi ad noſtra caſtra tranſiretis. Imò quo

ore

ore hoc à te potuit dici? Nẽpe tu, vir bone, non eras inter Iesuitas, quũ proscriberemur: quũ ad necẽ vndique deposceremur. Sed vos quid magni præstatis, si caretis carnis illecebris, si honores aspernamini, si omnibus mũdi oblectamẽtis valedixistis? an verò ea nõ putatis posse in eũ cadere, qui veritatẽ odio habeat? Imò Apost. notat iis ipsis homines decipi, & abduci à sinceritate religionis: additque, rationem quidẽ habere sapiẽtiæ in cultu volũtario, & summissione animi, & in eo quod corpori nõ parcãt, nõ tamẽ vllius esse pretij, Col. 2. 23. Sed nobis potius multa timẽda asseris, si ad vos defecerimus. Ita sanè multa: sed quæ tamẽ? Stata ieiunia. Nẽpe quibus strenuè perfuncti fuerimus, si cauerimus ne linguã vna iuris è larido guttula polluerit: aut panẽ attigerimus sectũ cultro, qui carnes tetigerit. Abstinere à carnibus: videlicet, quia nullæ sunt piscium deliciæ. Confessio auricularis: scilicet, nulli sunt scelerati sacrificuli, qui à me, vt auferant nummum, peccata omnia facilè dimittant: aut quia graue est denariis quindecim mercari vicies mille annorum indulgentias. Relinquendæ vxores: hem! id magnum est domandæ carnis instrumentum apud eos, quibus piaculum esset sacerdotem fornicantem ab altari remouere. Monasteria repetenda: Carthusianorum puta, aut Franciscanorum, apud quos egregiè caro maceratur. Et tu te potuisti magis ridiculum præbere, si ex pacto conuento id ageres, quam quum has laruarum quisquilias colligeres, infantium terriculamenta, aniles superstitiunculas? En tibi verò quæ nobis contra speranda: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Sed nos multo grauiora timemus: quid enim lucratus fuerit homo, si totũ mũdũ lucratus sit,

animæ autem iacturam fecerit.

Veſtram, ſiue in humanioribus literis, ſiue in Theologia Papiſtica(nam Chriſtianam oppugnatis potius)eruditionẽ, nec nego nec inuideo, ſiue ea ſit per ſe, ſiue per accidens. Proteruiam tuam nihil prorſus moror:id tantum moneo, non mea vulnera vino abs te eſſe lota, ſed mihi potius acetum & fel propinatum. Σὺ δ' οὖν ἐπειδὴ τέρψις ἤδη σοι τὸ δρᾶν χρῶ χειρί: φείδου μηδὲν ὧνπερ ἐννοεῖς. Quid enim adeo agreſtem naturam verbis decliniam? aut enim egregiè fallor, aut σοὶ οὔτ' ἄρ φρενὲς εἰσιν ἐναίσιμοι, οὔτε νόημα γνάμπτον ἐνὶ στήθεσσι. Huc eo potius, vt videam quomodo noſtram ſolertiam traducas: impietatem conuincas. De Luthero tamen, Vvicleſo, Oecolampadio, & Bulingero, ſemel dico, nihil reſponſurum, quia non ſint ad manum eorum ſcripta, quibus vti poſſim ad tua examinanda. Etſi quæ aduerſus Lutherum ſunt, ſatis prolixè refutata viderim apud Vvitakerum in reſponſione ad decem Campiani rationes, & Rainoldum lib. 1. de idololatria Romana aduerſus Bellarm. & Greg. de Valen. Sed ego non facilè diſputo ex aliorum fide, quod tu nimium ſępe facis, aut ſemper facis potius. Te igitur ad illos remitto, vt aut refutes, aut taceas; idque eò magis, quod tu à Campiano & Bellarmino has calumnias mutuatus ſis: tuo etiam exemplo, qui me ad tuorum iam publicata ſcripta tertio quoque verbo amandes. De reliquis dicam audacius: Ioannes, inquis, diſertè dicit Chriſtum Dominum, ianuis clauſis ad diſcipulos intraſſe. Hoc primum falſum eſt: dixit duntaxat veniſſe Chriſtum quum eſſet veſpera, & fores clauſæ; tum ſtetiſſe in medio eorum: quæ verba nunquam efficies vt id neceſſario ſignificent quod ſcripſiſti. At

Caluinus,inquis,non penetrasse ait, sed aliter sibi aditum patefecisse. At tu,inquam, non fideliter recitas eius aut verba aut mentem. Sic ille potius: Nec ianuis clausis intrare tantundem valet ac penetrare per solidam materiam: sed sibi aditum patefacere diuina virtute, vt repente steterit inter suos discipulos,planè admirabili modo quum obseratæ essent fores. Audin tu Ignati? Aditum sibi Caluinus credidit Christum patefecisse,ita tamen vt fores clausæ atque adeo obseratæ essent. Quid habes quod calumnieris? Ambrosius etiam lib. 10. in Luc. aditum nominat:sed inuisibilem quem Caluinus admirabilem. At idem,inquis,resp.vlt. ad Vvesph. modũ explicat:vt vel ianuam sibi aperuerit, vel in nihilũ redegerit,& statim restituerit.Imò nihil est huiusmodi:nunquam enim Caluinus dixit ianuã in nihilum redactam:quid igitur?hæc eius sunt verba, ex Gallico tamen reddita: nam exemplar Latinum præstò nõ est. Omnia humana claustra obstabunt-ne Deo, quominus is sibi aditum patefaciat? Qui enim omnia creauit ex nihilo, potest ad tempus in nihilũ redigere, quicquid obstare videtur ne eius opera in effectum veniant.Hoccine verò est ianuã asserere in nihilum redactam,tum restitutam: an potius eã potentiam argumento indicare, qua sibi Christus aditum patefecerit?Sed nimirum muti sint Iesuitæ,nisi verba arrodentes,malitiosè calumnientur. Martyr & Beza portas dixerũt,vel rarefactas, vel cedere iussas,& ex sese patefactas. At ego rarefactionem nusquam legi,nec locum notas.Bezam duntaxat audio, asserentẽ fores vel sponte patuisse,vel parietes fuisse peruios. Ceterum quum apud Euangelistam nihil sit quo ratio explicetur ingressus Dominici,quis has

ſeriò coniecturas poſſit damnare, dum nihil habeãt, quod aut anologiæ fidei, aut ipſi contextui repugnet? nec ſufficit ad refutationem, ſi exclames, ô acumen! ô ſolertiam! Importunam id arguet improbitatem tuam potius, quàm virorum doctorum acumẽ retundat. Pergo ad ſecundum exemplum, Beza explicans illa verba, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, mauult in eis admittere ſolœciſmum, quam credere veritati? At cui, inquam, veritati? An quia abſque vllo tropo & κατὰ τὸ ῥητὸν, à quo vobis piaculum eſt vel latum pilum diſcedere, poculum illud quod habebatur præ manibus effuſum ſit pro nobis? An quia ſanguis Chriſti proximè nominatus non eſt effuſus pro nobis? Et tu acumen Bezæ mireris, qui his veritatibus nolit credere? At tu crederes potius, ſi minus Syro interpreti, aut Baſilio, ſaltẽ Latino tuo interpreti, qui quum redderet per futurum tempus, pro vobis effundetur, facilè ſignificauit quid intelligendum putaret. Non omittendus tamen Matth. & Marcus, vterque locupletiſſimus teſtis. Itaque Beza cenſuit in ea oratione eſſe Solœcophanes, hoc eſt, in ipſa quidem Grammatica verborum cõſtructione ſolœciſmum; ſed qui excuſari poſſit, ſi dicamus ad rem potius Euangeliſtam attendiſſe, quàm ad vocabula: quod illud eſt opinor, quod à Grammaticis ſolet appellari ſolœcophanes. Michael. Seruetum miror à te nominatum: cur enim cum tu facias potius noſtrum à quibus & indicatus, & confutatus, & damnatus eſt, quàm veſtrum, à quibus nunquam dum vixit vel verbo violatus eſt? Lutherum audiui aliàs infantibus nõnullam fidei vim tribuere: ſed promiſſiones Euangelicas ab iis audiri hactenus mihi inauditum,

nec repertum apud Cēturiatores, etsi indicaris cap. 4. cēt. 2. Ad impietatē venio. Nunquid horribilis est blasphemia, inquis, Deum totius bonitatis fontem, omnium scelerum ac flagitiorum autorem constituere? Et quidem, inquam nullo satis vnquā magno supplicio vlciscenda: nam ne Diaboli quidem tanta est tam scelerata audacia. Cōstituit Martyr, inquis, constituit Caluinus. Imò mentiuntur impudentissimè Iesuitæ, ipsis iam Diabolis impudentiores. In commen. Martyris, 2. Reg. quos tu nominas, nihil mihi occurrit, quod huc valde faceret. Accipe verò, quæ is scripsit in c. 20. lib. 1. ad quæst. An Deus sit caussa peccati. Sciendū est, inquit, si propriè ac simpliciter dicendum sit, Deum non esse peccati caussam: quia summe bonus est, & ab eo non proficiscitur nisi bonū: peccatū verò odit & prohibet, nec nō grauissimè punit, nec illius caussa extra nos quærēda est: quia tantū habemus corruptionis ac deprauationis insitū, vt nō oporteat Deū instillare malitiā ad id vt peccemus. Hęc ille: & tu ab hoc ausis dicere cōstitui Deum peccati autorem? Sed in Caluino seipsam longè superat Iesuitarum impudentia. Hunc dicere ais, Deum non tantum permittere peccata, sed immittere, velle, iubere, ad peccandum impellere, & cogere homines. Deus bone! inquam: tantúm-ne in vllo homine sceleris? ô mores! ô tempora! Hi, vt agnoscantur, non bonarum tantum artium præceptores, sed magistri etiam pietatis, atque adeo Ecclesiæ columina? Hi, inquam, qui toti constant ex meris mendaciis, ex purâ putâ impudentia? In accusatione hereseos neminem patitur Hieronym. esse patientem: & tu mihi bilem commouisti, Ignati, his verborum portentis; quæ si tua sunt, næ illa

egregia ſunt κεκαυτηριασμένης συνειδήσεως, atque etiam deploratæ ſalutis argumenta. Sin habes tantum ab illo tuo Bozio, facis vt miſereat me tui, cui tam facilè etiam impudentiſſima mendacia perſuadentur. Atqui τυφλὸς τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ: noſti cetera. Immitti Caluinus peccatum dixit à Deo? quo loco, aut quibus verbis? Hiſci-ne ex 9. ſect. c. 4. lib. 1. Inſt. quæ ſunt, Iniuſtè ab hominibus læſi, omiſſa hominum improbitate, meminerimus ad Deum conſcendere, ac pro certo ſtatuere diſcamus, iuſta eius diſpenſatione fuiſſe & permiſſum & immiſſum, quicquid hoſtis ſceleratè in nos admiſit? Nā quia immittendi vocabulum hîc lego, ſuſpicor inde arreptam occaſionem Diabolicæ calūniæ. At hæc, mihi crede non Caluinum arguunt impietatis, ſed vos ſtoliditatis portentoſæ. Quid enim? ſi Caluinus dixit à Deo in nos immiſſum id quod hoſtes ſceleratè in nos perpetrarunt: ideo neceſſe eſt aſſeruiſſe, à Deo ipſum ſcelus immiſſum in ipſos hoſtes noſtros? Et micam habent ſanæ mentis, qui ſic inſaniunt? Ad peccādum impelli & cogi homines Caluinus dixit. Rurſus mēdacium, cuius vel tenue veſtigium animaduertere nō potui, iis duobus locis à te notatis: iuberi autem peccata, quatenus peccata, nunquam Caluino ſcriptum eſt, ſed tāquam actiones: quam diſtinctionem ſi ignoras, an propterea Caluinus impius? imò tu potius veræ Theologiæ imperitus. Inceſtū Solomonis nunquam audiui nominari. Sed nimirum tanta erat calumniandi rabies, vt ne legere quidem diſtinctè poſſes. Abſalonem voluiſti nominatum. Inceſtum ergo Abſalonis opus eſſe Dei dixit Caluinus. Ita ſanè: quid enim? ille negaret quod Deus diſertè teſtatus eſt? At non erat Ieſuita. Audi Caluini verba: Ab-

ſalon

ſalon inceſto coitu, patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat. Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat: Verba enim ſunt, Tu feciſti occultè, ego verò palam faciam, & coram ſole hoc. Tu igitur, Ignati, aut Deum argue mentitum, aut Caluinũ ſcelere abſoluito, quãquã inceſtũ Caluin' Deo nũquã tribuit: ſed id opus, quod erat Abſalonis inceſtum: quæ ſi tu neſcis diſtinguere, imperitus es: ſi nõ vis, malitioſus: ſed ſiue tu imperitus, ſiue malitioſus, Caluinus tamen pius fuit. Iam, Filij natura tã diuina quàm humana Patri ſubiicitur. Hoc Caluinus? & citas c.14. lib. 2. Inſt. Nẽpe vt ſtatim argui poſſis: eo enim toto capite nihil eſt prorſus quod redoleat hanc blaſphemiam. Filius reſpectu perſonæ, non eſt niſi impropriè Creator cœli & terræ, Pater propriè: & notas locum quo id aſſeruit Caluin. aduerſ. Gent. in reſ. 10. proth. vbi tamen ne tenue quidem verbum inuenias quod huc pertineat. Ibidem Deus Pater habuit vim generandi Filium, ac propagandi Spiritum ſanctum, quia voluit. Atqui ea verba ſunt Gentilis, non Caluini; in quibus tamen quid ſit impium, non facilè video. An vis enim inuito Patre, Filium genitum, Spiritum propagatum? Nam quod tuus Bozius concludit, potuiſſe ergo Patrem nolle, non eſt niſi ex mera cæcitate: an enim tu quæcũque Deus vult, ea etiam poſſe nolle aſſerimus? nempe, vt dicamus poſſe iam eum tædere ſuæ iuſtitiæ, vt incipiat velle eſſe iniuſtus. Impropriam ac duram eſſe loqutionẽ illam Deus de Deo, opinor alicubi dixiſſe Caluinum, etſi nunc locus non occurrat: ſed in eo quam tu impietatem indicas? Nam quod tuus Bozius inde arguit, non fore igitur Filium æqualem Patri, reſpectu generationis, quis facilè intelligat?

aut quis vnquam ita loquutus est, respectu generationis esse æqualem Patri Filium? Imò hoc etiam durius est ea ipsa phrasi quam Caluinus reprehendere videtur. Porrò Deus essentiam significat, non personam: quis nescit autem in Trinitate, non essentiam de essentia, sed personam de persona esse genitam? Nomen Dei κατ' ἐξοχὴν Patri attribuitur. Quam tu enim aliam caussam possis reddere, quamobrem Scriptura sic loquatur? Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Et, In primis quidem gratias ago Deo meo, per Iesum Christum. Ineptè autem tuus Bozius inde inæqualitatem concludit: nam hæc ἐξοχὴ ordinis est potius, quo Pater solet præferri Filio. Christus ignorantiæ pro nobis se subiecit. Quid ergo inquam? Tun censes Christi humanitatem sciuisse omnia æquè cum Deitate? Absurdum: ipse enim testatur de se ipso, sibi non esse cognitum vltimum diem. At ne arboris quidem speciem ei cognitam Caluinus asseruit. Ridiculum: quasi crediderit vnquam nescisse Christum quid ficum inter esset & nucem. sed hoc voluit, è longinquo spatio non facilè discerni potuisse ab eo genus arboris; quod etiam disertè expressit in Gallico Comment. Sequuntur diriora. Vehementia doloris abstulit Christo memoriam cœlestis decreti. Hæc verò tu nimis inuidiosè, & vt inimicum decuit, recitas etiam truncata. Eadem vehementia (verba hæc sunt illius) præsentem cœlestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis Redemptorem: sicut grauis anxietas sæpe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia. Hæc ille: vbi vides nominatam non simpliciter

citer memoriam, ſed præſentem memoriam, & in ipſo momento: explicatámque ſtatim, quod non ſimul omnia venirent in mentem. Quæ quidem ſic neceſſario intelligenda veniunt ex ipſis Chriſti verbis: niſi forte quis ſit eò vſque blaſphemus, vt hypocritam faciat Chriſtum non ſerio oraſſe. Sed hæc verba, De' meus, Deus meus, quare dereliquiſti me? ab eodem appellantur, verba deſperationis. Imo, inquam, non ab eo, ſed ab eius obtrectatoribus. Sic enim ille: Nebulones, quidam, licet indocti, malitia tamen magis quàm inſcitia impulſi, clamitant me atrocem facere Chriſto iniuriam, quia minime cõſentaneum fuerit eum de animæ ſalute timere: deinde calumniam durius exagitant, me deſperationem adſcribere Filio Dei, quæ fidei contraria ſit. Hæc verba ſunt in eo loco Inſtitutionis, qui à te eſt indicatus, & in cõment. in Matth. Sed abſurdum videtur, Chriſto elapſam eſſe deſperationis vocem. Solutio facilis eſt, Audin-tu? viden-tu, Ignati aliena verba referri à Caluino, nõ ſua proferri? quo vos eſtis magis importuni, qui viro huic ſancto aliorum imputetis blaſphemiam. Deſperationem autem Chriſto adſcripſiſſe, quomodo perſuadebis eum qui ſic loquatur, ſoluens has calumnias. Quanquam ſenſus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen ſtetiſſe fidem in eius corde, qua Deum præſentem intuitus eſt, de cuius abſentia conqueritur? Et poſt, Nihil obſtat quominus Dei alienationem mente conceperit Chriſtus, prout ſenſus cõmunis dictabat, & ſimul fide retinuerit Deum ſibi eſſe propitium. Sic ille Ignati: Sic Caluinus inquam, Ignati: at deſperationem nõ ille loquebatur: ſed nebulones loquebantur: caue ne tu in illis. Timuiſſe de ſua ſalute nõ

eget noua refutatione: quis enim verisimile credat, hæc ei verba excidisse, quem audiuimus asserentem Christo fidem semper fuisse integram? At dixit saltem, sustinuisse pœnas ipsorum damnatorum. Enimuero quis hoc neget non impius, aut qui sciat Christum pro nobis factum esse maledictionem, factum esse peccatum? Sed nimirũ vos nescitis Iesuitæ quãti constiterit Christo salus nostra. Negauit Caluinus, Christum vllam gloriam suo corpori promeruisse. Imò, inquam, nusquam negauit: tantum & periculosè inquiri, & temerariè definiri asseruit. Scripturam enim omnia eius merita ad nos referre, nunquam ad ipsum. Erat autem huic viro sancto religio extra aut supra Scripturam sapere, quum vestris sophistis nihil vnquam fuerit inausum. Itaque tu te nimis inconsideratũ ostendis qui dicas Christo Caluinum dare spiritum ad mensuram. Transeo ad Sanctos hos appellari à Caluino per contemptum, mortuos homines, laruas, vmbras, colluuiem, monstra, carnifices, bestias, nec bona fide Bellarm. dixerat, & tu non meliori repetis. Mortuos appellari per contemptum quo loco legisti? nam quem tu indicas sect. 27. c. 20. lib. 3. Inst. mortuorum vocem nusquam habet. Sectio verò 21. sic inchoatur. Quantum ad sanctos attinet, qui carne mortui in Christo viuunt: quod si per contemptum dici asseras, quem te tandem censebimus? Vmbrarum vocem inuenias sect. 24. qua tamen significantur, non sancti, quod vos putastis stupidissimi lectores, sed scholæ sophistarum, qua voce, vox illa reddita est Gallicè. Sect. 27. laruas appellauit Georgium & Hypolitum. An propterea sanctos? Nihil minus. Illi enim nunquam fuerunt, nedum sancti. Nec alio sensu mon-

stra

ſtra appellauit Chriſtophorum & Catharinam, mera hominum figmenta, mera nomina, eó tantum apta, vt idololatræ Chriſtiani ſuum haberẽt Athſa-, tem, ſuámque Palladem. Autoribus enim idololatriæ non fuit ſatis, homines abduxiſſe ad creaturas à Creatore, niſi etiam deprimerent infra ſua ſomnia, quæ pro ſanctis adorari voluerunt, & obtinuerunt, ita vindicante Deo non minus ſeuerè quàm iuſtè ſui nominis contemptum. Carnificem Dominicum appellauit: ánnon iure? eum quo autore & impulſore tot ſunt horrẽdæ immanitatis edita exẽpla in Albigenſes? Beſtias appellat Medardũ & Lubinum: quamobrem verò, fateor me neſcire, quia nõdum eorum legendæ mihi ſunt notæ. Sed an impium eſſe oportet eũ, qui idololatriæ Papiſticæ portentoſam impietatem liberè perſtringit? At vos mihi potius tãdem aliquando bonam mentem aſſumite, ne & in Deũ blaſphemi, & in homines pios ſitis iniurioſi. Et miraris Ignati exprobraſſe me tibi quod noſtrorum libros non legeres? At tu potius aliquando erubeſcito tuæ huius ſocordiæ quæ te ita obnoxium reddat pauculis illis quorum maior quidem eſt fortaſſe diligentia, ſed infinita impudentia, vt te atque alios tibi ſimiles, qui demenſo victitant hordeo, miſerè decipiant. Dixit aliquando aliquis Caluinum blaſphemaſſe, & notauit locum, non verè, ſed audacter. Huic tu ſimpliciter fidem habuiſti: non credidiſti vlterius inquirendũ, locum ipſum inſpiciendum: hoccine verò eſt Ignatio dignum, tanto viro, tanto Ieſuita, rectore etiam Academiæ? Crede mihi, vir bone, ne tuis nimium credito: ſunt illi plerique omnes audaces, temerarij, mendaces, ſycophãtæ, impoſtores, calũniatores? Quare exami-

nato singula, tantum credito, quantum probaueris. Tum verò tu tibi, tu tuæ existimationi optimè consulueris: imo verò tum tu sine dubio incipies animæ tuæ consulere.

Pollicebare mihi operam tuam, si instrui vellem, & in caussa religionis ea plana fieri, quæ explorata non sunt, atque id viua voce potius quàm scriptis. Quorum ego verborũ mentem me negabã assequi. Nunc tu exponis in hunc modũ. Si de aliquo capite religionis vestræ dubitem, & bona mẽte auelli mihi ex animo dubitationem percupiam, paratus agnitam veritatem amplecti, præsto te esse quacunque in re poteris opitulari. Audio, atque video hoc illud esse quod suspicabar, velle te vt me tibi discipulũ pollicear dictata excepturũ. Magnificè sanè: nã sic vos egregiè operam nauare his annis deprehendimus instruendis Spondano vtroque, Sancio, Salignaco, Rebullo, nostris apostatis, quibus quũ mẽs esset peruersa, ad vos accesserunt, & magnam triũphi materiam præbuerunt. Nempe optimè Tertul. Hereses apud eos multum valent, qui in fide non vãlent. In pugna pugilum & gladiatorum plerunque, non quia fortis est vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit. Hoc illud est prorsus: Eos vos quæritis, quibus aut sui mores, aut sua inconstantia, aut aura secularis, odium iam instillarit nostræ veritatis, amorem vestri mendacij. His vos pulchrè omnia demonstratis ex hoc principio, Ecclesia sic docet: quod illi quia decipi volũt, tanquam oraculum ex tripode auidis auribus excipiunt: tũ intra duos dies aduẽtante per impluuium Spiritu, nõ Catholici tantũ (nam id minimum est) sed etiã, si superis placet, magistri fiunt

fiunt in Israel: magni viri, è quorum declarationibus si illum auferas κοκκυσμὸν Ecclesia sic docet, Ecclesia sic docet, nihil reliqueris, quod legi posſit. Sed quã tu cauſam afferre potes, cur ego potius dubitem quam tu? cur ego ad te accedam potius instruendus, quã tu ad me? Enimuerò tam certo ſcio vos eſſe hereticos, quàm me viuere: tam certo ſcio nos eſſe Catholicos, quàm, Chriſtũ eſſe in cęlis. Itaque ſi nulla tibi alia cauſa eſt ſcribendi ad me, potes quieſcere, & ſatisfacere occupationibus tuis tantis, quas & prioribus iactabas, & Gautierus nuper amplificabat, vt indignũ me facinꝰ cõmiſiſſe argueret, qui tibi ſic occupato negotium faceſſerem. At ego ſciebam te ea omnia certiſſima & indubitatiſſima habere, quæ bona illa tua matercula Eccleſia Rom. credenda proponit, contraria omnia dogmata falſiſſima: ſciebam, inquam, hoc tibi eſſe ingenium, eo ipſo quòd ſis Ieſuita: ſed eo ipſo mouebar ad ſcribẽdum ad te, tentaturus an aliquo modo hoc deploratiſſimo poſsis errore liberari. Quid enim? credin tu, Apoſtolos ad eos tantum acceſsiſſe, quos iam idolorum cœpiſſet odium? an quæſiſſe etiam eos qui eſſent obſtinatiſsimi? De ſcriptis & viua voce, nondum abducis me à mea ſententia, etſi ſatis ſubtiliter ſophiſtã agas, Si, inquis omnia dici poſſunt quæ ſcribi, & rurſus ſcribi quæ dici, ergo non erunt ſcripta dictis ſolidiora, pacatiora, certiora. Itáne? at eiuſmodi virtutes, non tãtũ ſunt in iis ipſis rebus quę dicuntur aut ſcribuntur, ſed etiam in ratione qua dicuntur aut ſcribuntur. Quid? tu ſolidiora eſſe putas, quę in procinctu ex tẽpore dicũtur, quã quę meditata? Et quidem ita ex tempore, vt ſi vel tantillum taceas, meditaturus quid potiſsimum, & quomodo

aut respondeas, aut obiicias, continuo insultantem habeas importunum aduersarium? Tu pacatiora ea censeas quæ in tumultu agitantur, animis non tantum affectu iam occupatis, sed etiã præsenti vehementia calefactis? Ἀντίνοος δ' εἴωθε κακῶς ἐρεθιζέμεν αἰεὶ μύθοισιν χαλεποῖσιν, ἐποτρύνει δὲ καὶ ἄλλους. Et quotuncunque mihi vestrûm dabis qui non sit Antinous? Nostri periculum iam pridem fecere. Et tu ipse quid sperare me iubes de te ipso, qui amicè compellatus, non potueris nisi proteruè respondere? Certiora denique esse, equidem, miror si negaueris, quum viua vox effugiat, scripta maneant: ac proinde dicta corrumpi possint quum referuntur prout suis partibus quisque magis fauet: scripta non possint, & eorum inpudentiam facilè coarguant qui rẽ gestam volent inflectere. Quid tum autem si non tã facilè, tam breui tempore scribuntur quàm dicuntur? Mihi crede, non tanti est vnica temporis iactura, vt præferatur iis quæ protuli. Sat citò si sat bene. sed tu nimirum sagacissimè astutus es, qui astũ nostrum intelligas. ô igitur nos miseros! qui spe tanta deciderimus. Persuaseramus nobis posse omnium etiam perspicacissimorũ oculos effugere: adeò astutè nos gerere, vt ingenium nostrum nemo olfaceret. Nũc vnus hic Ignatius quasi nobis instituti cõscius esset, quasi ipse affuisset, tum quum iurati omnes in hanc fraudem consensimus, hypocrisim nostram profert in apertũ. Næ tu facis, Ignati, vt tibi multũ debeat hoc nostrũ seculũ, qui tã callidè mores nostros detegas. Sed hi tamẽ mores nostri, cuiusmodi sunt? Effugitis (hæc verba tua sunt) disputationes quæ viua voce fiunt. Ergo, inquã digni qui exercitum ducamus, si non fugimus tantum, sed

etiam

etiam effugimus: tum enim nos ad arbitriū nostrum non aduersariorum pugnamus. Sed enim, cur fugimus? Quia secundo quoque verbo, inquis, contradicentia ac pugnantia loqui apertè conuincimini. Nimirum, inquam, quia qui gratiam Christi salutis fontem asserimus, iidem operum merita iactamus: & qui sanguinem Christi dicimus ἱλασμὸν esse pro peccatis totius mundi, iidem Purgatorij ἐμπυρισμὸν obtrudimus: & qui vnius corporis vnum caput nouimus, iidem Papam Christo copulamus, vt sit vterque caput Ecclesię. Sæpenumero, in eas angustias redigimini, vt intelligant omnes doctrinæ vestræ falsitatem, & obstinatam in errore tuendo peruicacémque voluntatem. Scilicet, inquam, hoc tu expertus es aliquando, qui ne ex libris quidem, nostras controuersias cognoscere voluisti. Sed ita est tamē, redigitis nos in angustias, tū quia noua semper absurda profertis, tum quia nobis non satis est frontis ad reprimendam impudentiam clamosam: & illi postea clamitant peruicaciam, quorum interest à seipsis inuidiam in alios deriuare. Quicquid in buccam venit, absque ordine & methodo temerè effutitis. Videlicet vos estis soli, Iesuitæ, Dialecticę candidati, soli quibus Musæ fuerunt propitiæ. Ab equis ad asinos de improuiso transitis. An quia nolumus à Scripturis ad traditiones diuertere? Omnia miscetis: nimirum quia à veris mendacia separamus. Et tibi aliquis posthac credat, Ignati? Et tibi aliquis fidem habeat de nobis blateranti? Sed hæc, non alia, exspectari & possunt & debent à Iesuita. Quod autē negas te adeo stupidum fuisse aut stipitem, vt non intellexeris mihi in te prouocando, non aliud fuisse propositum, quàm gloriari posse te à me fuisse pro-

uocatum: efficis vt agnoscã mihi rem esse cum homine non tantum proteruo, sed etiam suspicacissimo; qui ea diuinet, quæ nusquam sunt, aut me etiam suo modulo metiatur. Quod enim huius suspicionis tuæ potes argumentum proferre? At ego de te verè possum conqueri. Nam quum ego meas ad te non nisi diligenter obsignatas dederim, tuæ contra mihi semper visæ sunt postremo; Et has ipsas quibus iam respondeo, is qui reddidit simul testatus est, se duos menses apud se detinuisse, dum describeret te autore. Ego verò, me testor tuarum ad me, mearum ad te, nullum communicasse exemplar, tantum vni, aut alteri ex symmistis ipsa autographa commodasse. Quum tamen id tibi comperi ingenium esse; effeci vt viderent docti, quid inter me atque te & Cotonum (nam & Cotono nonnihil eiusmodi accidit, astú-ne an forte fortuna, non facile dixerim) sit transactum: arbitratus non ferendũ vestra ad me responsa vulgo legi; mea ad vos delitescere in musæo.

Absolui τὰ παρέργα: venio ad theses, in quibus indignaris quod significarem, exspectasse me à te aliquid amplius: & negas me momenta rationum perpendisse, paginas tantum numerasse, quod non est ita: sed tu tibi plaudis, quod solent ij qui sibi plus æquo placent. Hoc potius dicebam, nihil te præstitisse dignum tuo nomine: sophismata tantum quædam ex triuio collegisse, quorum tyrones pudere debeat, adeo sunt puerilia. Si paginas numerarem, nũc sanè quum mihi librum misisti pro epistola, tacerem: sed iterum dico, te nihil præstitisse dignum eo Ignatio, quem animo conceperam ex tuorum sermonibus: ostentasse virum qui suis ipse oculis nihil cernat, sed vtatur commodatitiis Bellarmini, Bozij, Grego-

Gregorij de Valent. à quibus ſi diſcedat, ne veſtigium quidem faciat. Credo argumenta tua eſſe ἀποδεικτικά: ſed tuo iudicio, cui meum cur non opponerem? Hoc igitur habe, apud te ne vmbram quidem eſſe argumentorum ἀποδεικτικῶν: quod ſi pergis negarę, tum ego aſſeram te prorſus ignorare, quæ ſint argumenta ἀποδεικτικά. Sed ad rem. Negabam me ſequutum eſſe Caluinum, quod tu interpretaris quaſi me eius puderet: ſed tu non es ſatis idoneus interpres meorum verborum: quid enim? ſi me eius puderet, egon' dixiſſem ab illo mihi indicatam ſcripturam? Atque adeo ita eſt vt dicis: ego illum numero inter præclariſſima Eccleſiæ lumina: ſed quia vos ſoletis ſic eum nobis obiicere, quaſi eius doctrinæ, quam profitemur, autorem primum, idcirco negaui me ſequutum: quod nunc non faciam; quando illud tuum, ſequi, interpretaris, eandem viam ingredi, quam ille prior. Citabam ſcripturæ tres locos, Matth. 28.19. Act. 2. 42. Ioan. 10. 27. quorum ſecundum diſſimulas, quo dicuntur fideles perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communione & fractione panis. Ad reliquos, vt reſpondeas, magnum me Dialecticum exclamas, qui ex quolibet inferam quodlibet. At tu nimis es prodigus, qui me illuſtrioribus ornas tuorum titulis; apud quos iſta argumentationum lumina fugere te non potuerunt. frumentum erit in ſummitatę montiũ: Ergo panis träſſubſtãtiatur. Deus fecit duo magna luminaria: ergo Papa eſt maior Imperatore. Tota pulchra es amica mea, & macula nõ eſt in te: Ergo virgo Maria caruit cõcupiſcentia. Pro tributo id datur, quod erat in ore piſcis, non autem piſcis ipſe: ergo Pontificatus dignitas non ſubditur Im-

peratori. מסת גדבת ידך ergo Missa est sacrificium. & meus Cotonus hoc se argumento decipi patitur. addens etiam de suo (sic opinor, quia alibi nusquam legerim) פסת ex Psal. 72. & ex משתה Esa. 25. vt ne desit ignorantiæ comes audacia. Ista sunt, ista verè sunt magnorũ scilicet Dialecticorum argumenta: & nimirum hæc tibi obuersabantur animo: quum meam dialecticam mirareris. sed enim, egóne ex quolibet efficio quodlibet, quum infero Ecclesiæ essentiales & perpetuas notas esse Verbum & Sacramenta, ex eo quod iussi sunt Apostoli docere & baptizare omnes gentes? Et fateris ingenuè te non videre huius conclusionis rationem: nimirum vt nossem mihi rem esse cum homine nõ tantum proteruo & suspicace, sed etiam non acuto, qui nihil videat, nisi quantum ei manibus palpandum traditur; nam indice digito apud eũ nihil promoueris. Quid? Ignati, non mittuntur Apostoli ad constituendam Ecclesiam, quum ita mittuntur à Christo? ergo docet eos Christus, rationem constituendæ Ecclesiæ, nempe per Verbum & Sacramenta. Erunt, igitur Verbum & Sacramenta ratio legitima constituẽdæ Ecclesiæ: & non erũt essentiales notæ Ecclesiæ? nunquam id negaret nisi aliquis Loyolista. At tu volebas potius me concludere, propagationem fidei in gentibus, eámque maximam, etiam iniquissimis temporibus & perpetuam esse notam Ecclesiæ. Scilicet vt doceres me Dialecticam quam nesciam. At hæc profectò noua est aliqua Dialectica, quam ad te ex nouo orbe miserunt, opinor, boni illi fraterculi tui, qui in India & Iaponia laborant in diruendis Ethnicis idolis, vt Iesuitica inuehant: nam in hoc orbe nostro, similem nunquam audiui. Vt nota sit Eccle-

siæ

siæ propagatio doctrinæ? Atqui notas quærimus, vt constitutas Ecclesias cognoscamus: propagatio autem eas quæ nondum sunt, efficit Ecclesias, non eas quæ iam sunt: deinde non pertinet ad omnes Ecclesias, nec omni tempore: ideo si esset nota, non futura essentialis, & perpetua, indéque non factura ad meas theses. Tertiò propagatio potest fieri, vt tamen non fiat ab Ecclesia: nam illa muliercula, quæ, teste Theodoreto, apud Iberas propagauit Euangelium, non erat Ecclesia, sed dũtaxat membrũ vnum Ecclesiæ. Quartò ipsa per se conclusio est ridicula: nam illud Docete & Baptizate, idem est ac cõstituite Ecclesias: quam est autem ineptũ vt dicatur constitutio Ecclesiæ, nota Ecclesiæ? Absurdum igitur te ipsum præbes, quum me sic velles argumentum conclusisse. Nec acutior es in loco Ioan. Oues meæ vocem meam audiũt, aiebat Christus: ergo, aiebam ego, vox Christi, id est, sana doctrina, est nota Ecclesiæ. Non sic, inquis: quidni inquam? nisi forte quũ homines affirmarim vti sermone, aues cantu, tu neges ex sermone homines, ex cantu aues posse dignosci: nisi forte quum discipulos dixero excipere magistri dictata, tu clames non posse indicari discipulum, ex eo quod dictata magistri excipiat. Sed quomodo igitur potius? Obedientia est nota Ecclesiæ. Itáne? quælibet obediẽtia? etiam quicquid id sit quod præcipiatur? Non facio, Ignati: nunquam ita concludo. Sed obedientiam voci Christi exhibitam, eam ego libenter dixerim Ecclesiæ notam: nam esse Ecclesiam, quæ verbum Christi auditũ respuat, non magis mihi in mentem venit, quam si verbum hominum, traditiones, inquam, auditæ excipiantur.

Pergebam & argumentabar etiam ex natura Ec-

clesiæ. Atque hic specimen nobis exhibes tuæ in Dialectica solertiæ, qui me sic facis argumentatum. Homines fiunt sancti per verbum & Sacramenta. Ecclesia est sanctorum communio. Ergo sinceritas doctrinæ & Sacramentorum est nota Ecclesiæ. At si satis esses bonus Dialecticus, sic potius in ordinē meum argumētum compegisses: Ea quæ Ecclesiam constituunt, etiam ostendunt, ex illo Philosophiæ dogmate, causas non tantum rem constituere, sed etiam ostendere. At verbum & Sacramenta, Ecclesiam constituunt: est enim Ecclesia communio sanctorum: sancti autem non fiunt nisi per verbum & Sacramenta: Ergo Verbum & Sacramenta Ecclesiam ostendunt, hoc est, sunt eius notæ. Abi nunc, Ignati, & aut nostram Dialecticam irrideto, aut tuam in euoluendis aduersariorum argumentis solertiam iactato. Illum qui dem syllogismum, facile concesserim, nec in modo esse, nec in forma: sed eius quum mea sit materia, tum artificium totum est tuum: quo te abundè ridendum propines, me nullo modo violes: cur enim ego tua luam peccata? Sed de materia. Caussæ, inquis, rem ostendunt, ex se & sua natura. Ergo, inquam, sunt notæ, alias non ostenderēt: sed & notæ perpetuæ, alias nō ex se, & sua natura: sed & essentiales, alias nō caussæ constituentes. Nihil igitur peccaui argumētando: nam huiusmodi notas designabā in meis thesibus. At nobis, inquis, plerunque effecta notiora sunt quàm causæ. Quis neget? sed tamen semper caussæ certius rem ipsam indicant, quàm effecta: ego autem non quaslibet notas nominaueram, sed nunquam fallaces: quum autem eadem effecta possint à variis caussis fieri, qui iis hæreat, eum facilè sit falli. Tuam autem conclu-
sionem

ſionem, Eccleſia eſt ſanctorum communio: ergo vnanimis doctorũ conſenſus, & Chriſtianæ communionis effectus, ſunt notæ Eccleſiæ: rurſus reſpuo: primũ, quia conſenſum dũtaxat nominaſti doctorũ: Eccleſia autẽ nõ conſtet ex ſolis doctoribus, & fieri poſſit, vt his conſentiẽtibus plebs diſſentiat. Deinde quia doctorũ cõſenſus nõ quilibet, ſed in ſana doctrina quærẽdus eſt. Tertiò, quia illud, Chriſtianę communionis nomen, ambiguũ eſt: nã Chriſtianam, vel eò dicis, quia conſtet in doctrina & Sacramentis, ac tum nihil aliud dicis, quam quod nos dicimus: niſi quod ſuſpendis animos, quibus adhuc quærenda ſit nota notæ, vt intelligant quænam vera ſit communio: vel intelligis eam quæ nominatur Chriſtiana: & tum falſum aſſeris, quia in agnoſcenda Eccleſia non τὰ φαινόμενα, ſed τὰ ὄντα ſunt ſectanda. Porrò hũc conſenſum contra me aliquid efficere nunquam aſſeruiſſes, niſi Bozio tuo illi τυφλώττοντος ὁδηγῷ plus æquo fidei tribuiſſes.

Iam verò tuáne argumenta tuearis melius, quàm mea impugnes videndum: atque ex reipſa experimentum capiẽdum. Hic autem rogaueras vt aliquid afferrem noui: negaueram poſſe: quum quia noſtra doctrina ſit antiqua, tum quia tu vetera veſtra repoſuiſſes. At tu velles me omnia collegiſſe, quæ tui aliquando ad hanc rem dixerunt, & aduerſus ea diſputaſſe: egregius ſanè diſputandi magiſter, qui me theſes ad te mittentẽ vis contra Bellarminũ aut Bozium diſputare. Atqui ego à te nolo diſcedere: illos ſi confutandos mihi ſumo, alio opere faciam, non theſibus ad te ſcriptis. At nemo non videt acceptis theſibus tibi aut tacendum fuiſſe, aut tua opponenda argumenta. Ego in Bellarmino (nam Bozium

vt dixi,nondum legi)multa video absurda, quæ non sum ausus tanquam tua refutare, ne tu tibi iniuriã factam quer ereris: quod si illa obiicias, tum securus refutabo,non vt Bellarmini,sed vt tua. Primũ tuum argumentum erat, vt assereres sinceritatem doctrinæ & Sacramentorum obscuriorem esse ipsa Ecclesia:quod quum negandum scires, probabas hoc argumento,eam quia sinceritatem ab Ecclesia discèremus.Hic ego duo quędam respondebam:quorum illud prius erat;posse nos eam sinceritatem aliunde discere, quàm ab Ecclesia; nempe vel ex Scripturis, vel ex aliquo doctore. Alterum,quod etiam ab Ecclesia doceatur,quum nesciatur aut non credatur esse Ecclesia. Tu respondens, primum interrogas,si Ecclesia sit obscurior ipsa sinceritate, vnde factum sit,vt Ecclesia tanquam magistra & custos veritatis omnibus proponatur, vt illi tanquam firmamẽto & columnæ innitentes,non circunferantur omni vẽto doctrinæ.Respondeo,proponi Ecclesiam magistrã, & custodem veritatis, nec tamen esse notiorem ipsa veritate; quia iis qui ipsam veritatem ignorant, ne magistra quidem & custos illa credi potest esse veritatis; sed iis tantum qui ipsam veritatem iam norunt.Proponi autem tanquam columnam, & firmamentum,cui innitamur, ne circunferamur omni vento doctrinæ,nunquam dictum est à Spiritu sancto:nunquam dici potuit absque errore.Veritatis illam Apostolus columnam vocat, & firmamentum, non nostri.Id autem quomodo intelligendum, potuit te saltem Caietanus docere,in commentario in eum locum: nam veritas mysteriorum diuinorum velut excelsè sustentatur in Ecclesia,dum supra omnia asseritur,veneratur & colitur, & in ipsa Ecclesia

ita

ita fundata est; vt extra eam non inueniatur. Nisi fortè Lyranum malis audire: qui propterea veritatis Euãgelicæ columnam vult Ecclesiam dici, quia eam sustinuit firmiter, etiam in persequutionibus maximis. Quod Augustinum citas, ostendis te oscitanter, aut illum legisse, aut nunc disputare. Non enim ille dixit Ecclesiam esse notiorem ipsa doctrina: sed supponens doctrinam nondum bene cognitam, aliam notam indicat, qua interim Ecclesia possit vtcunque agnosci. An verò ego negaueram vllam esse Ecclesiæ notam, nisi in sinceritate doctrinæ & Sacramentorum? minimè verò: sed duntaxat, in ea constituebam essentiales, perpetuas, ac nunquam fallentes notas. Porrò duplex est rei alicuius cognoscẽdæ ratio: vna ἀκριβὴς, altera παχυμερὴς: & ὡς ἐν τύπῳ. Huius notæ esse possunt etiam tenuissima indicia: vt si hominem sic tibi velis monstrari, dicam animal esse capite piloso, cetero corpore plurimum glabro: aut vt ille olim, animal bipes implume. Alterius autem cognitionis argumenta oportet esse necessaria. Augustinus illo priori modo Ecclesiam Catechumeno indicabat, qui se fatebatur nondum posse errores dignoscere: ideo accidentariam notam quum designasset, putauit satis esse dum vlterius ille prouectus posset magis serio Ecclesiam cognoscere ex veritate doctrinæ. Non est tamen omittendum, August. ab initio eius lib. 13. cont. Faust. vsque ad fin. c. 13. totũ in eo esse, vt colligat argumenta, quibus persuaderi possit Ethnicus vt Scripturis credat, & per eas in Ecclesię se gremiũ recipiat: vt eo ipso ostẽdat, quod ad hanc rem facit plurimum, de qua nunc agimus, in eo laborandum nobis esse, vt catechumenis ante Scripturæ autoritas innotescat, quam Ecclesia:

respondet enim Fausto Manic. qui obiecerat nihil habere Christianos quod responderēt Ethnico neganti se credere Prophetis. Hæc ego ad Augustini locum regero. Post hæc, tu me dicis negare sinceritatem Doctrinæ, ab Ecclesia discendam esse. Deus bone! quid ageres, si viua voce instituta esset disputatio, quum etiam scripta mea sic falsas? Men' alicubi aliquando dixisse, non esse discendam veritatem ab Ecclesia? At ego profecto nusquam: sed tu egregiè calumniatus es. Ego verò testor, & coram Deo testor, credere me præcipuum hoc munus esse Ecclesiæ, vt veritatem doceat; atque eam ob causam vocari columnam, & firmamentum veritatis: Quare tu posthac vide, Ignati, ne sic mentiaris. Sed rectè dixi tamen aliunde quam ab Ecclesia posse disci: primum ex scripturis, deinde ex Doctoribus. De Scripturis quid ais? Interrogas vnde constet, hanc vel illam Scripturam esse sanctam vel Canonicam, nisi ex Ecclesiæ testimonio: Et nominas nonnullos hereticos, qui nouos Prophetiarum libros inducerēt, teste Euseb. Cæs. cuius imperitè citas libros Instit. qui nulli sunt; pro libris hist. Eccl. At ego respōdeo, primū nō esse necesse, quū incipio veritatē discere, mihi Scripturas esse Canonicas: nō magis, quàm necesse sit eos à quibus doceor, puta, Bezam, mihi esse Prophetæ aut Apostoli loco: quare hanc tuā instantiam esse importunam. Deinde nego Scripturæ autoritatem nobis constare ex solo Ecclesiæ testimonio: quod saltem discere potueras ex ipso 13. August. lib. contra Faustum, cui quum hoc esset negotium, tamen nullo loco numerauit hoc Ecclesiæ testimonium. Et si hāc disputationem potes fusissimè & solidissimè tractatam relegere apud Vvitakerum, tum contra

contra Bellarminum, tum contra Stapletonum, nisi hos libros legere prorsus nolles, ne clamose obiicere non possis, à nobis non esse refutata ea, quæ vestri protulerunt argumenta, non satis cogitans ea non minus exstare, quæ tu nolis videre. Quare non rectè sic colligis, quia per me sinceritas doctrinæ probetur ex Scripturis: & ipsæ Scripturæ per Ecclesiam dignoscantur, ergo sinceritatem doctrinæ ab Ecclesia discendam esse. Nam omnes partes peccant: prima, non sincerè refert mea verba: non enim dixeram ex Scripturis sinceritatem probari, sed tantum doceri: non quod illud non firmissimè credam ex sola Scriptura veritatem probari: sed quod nondum faceret ad nostrã disputationem, quæ non quærit quomodo veritas demonstretur, sed tantum quibus mediis doceatur: non est autem necesse, vt quæcunque media apta sunt ad docendam veritatem, ea sint argumenta ex quibus ipsa veritas probetur. Secunda pars non est vniuersalis: oporteret enim te asserere, per solam Ecclesiam Scripturas dignosci quod est falsissimum: nam Hieronymus Scripturas dignoscebat Canonicas ab Apocryphis, qui tamen non erat Ecclesia. Denique conclusio nullo modo aduersus me est, qui vt ante sum testatus, non negem ab Ecclesia veritatem discendam, sed tantũ asserã aliunde etiam disci posse. Illud multo dixisti rectius, aliquando contingere posse, vt ex Scriptura Ecclesia probetur, sítque illa ex hypothesi notior quam hęc, quando nimirum Scriptura est recepta, & clarè loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia. Etsi enim nondum sit plenè Catholica confessio, tamen hominis est, iam vel radium lucis excipientis, qui nisi extinguatur ex erroris pertinacia, possit

aditum patefacere ad agnoſcendam veritatem : hoc enim tempore, ſaltem ex hypotheſi Scriptura eſt notior Eccleſia: nam & Scripturæ canonicæ ſunt receptæ: nec enim vos negatis eas eſſe Canonicas, quas nos numeramus: etſi pauculas adiicitis, pro eo iure quo vobis omnia in Eccleſia licere arbitramini: ſed in Nouo Teſtamẽto ſaltem nulla eſt cõtrouerſia: Et quæſtio orta eſt de ipſa Eccleſia, quã vobis apud vos eſſe aſſerentibus, nos noſtram eſſe teſtamur. Tum Scriptura loquitur apertè, niſi quantum vos tenebriones, eam obſcuratis veſtris ſophiſmatis: ſi qui autem loci obſcuriores paulo, nota eſt examinis ratio, ex magis perſpicuis. Quare te ipſo iudice, hoc ſaltem tempore Scriptura eſſet notior. Quanquam abſolutè notiorem eſſe Eccleſiam non ſatis probas, quia ante Scripturam fuerit, ipsíque hæc data ſit, háncque illa aliis tradat & explicet. Nam in primo fallis παρὰ τὸ συμβεβηκὸς: quia Scripturam accipis κατὰ τὸ ῥητὸν pro ipſa literarum pictura, aut codicis confectione, quod eſt ridiculum: redolétque militarem illam ſtoliditatem Ducis Guiſiaci in ſtrage Vaſſiaca: cui quum allatus eſſet codex Bibliorum, audiſſétque à fratre Cardinali eſſe Scripturam ſanctam: omnibus diris hanc Scripturam exſecrabatur, quæ non eſſet niſi à paucis annis, quos colligebat ex eius editionis anno. Nos autem intelligimus eã ipſam doctrinam quæ ſignificatur illis ita pictis literis, aut continetur illo compacto codice: dicimúſque, ſicut veriſſimum eſt exſtitiſſe Eccleſiam ante vllã pictam literam, ante vllum codicem compactum, ſic nullã prorſus Eccleſiam eſſe potuiſſe, antequã eſſet ea doctrina, quæ illis pictis literis ſignificatur. Imò verò, quia non fiat ex hominibus tanquam materia, vlla Eccleſia,

niſi

nisi per eam doctrinam tanquam formam, sic eatenus saltem cogitatione doctrinam esse priorem Ecclesia. exempli gratia: Ego Ecclesiam Christianam substitisse dico ante quàm Matthæus suum Euangelium vel scriberet, vel etiam scribendum cogitaret: sed nego vllam Ecclesiam Christianam fuisse ante quàm Iesus nasceretur ex Maria virgine, quod ille factum suo scripto nobis significauit: Quare hoc sensu audacter affirmem ante Euangeliũ Matthæi nullam exstitisse Ecclesiam Christianam. Reliqua tua sunt futiliora: nam etsi Ecclesiæ traditæ sint Scripturæ, & ea ipsas aliis tradat & explicet, non efficitur tamen inde, Ecclesiam esse ipsis Scripturis aut antiquiorem aut notiorem. Quod dicebam de hoc aut illo doctore, à quo nobis tradi posit doctrinæ veritas, tu sic accipis, vt significarim vel Canonicũ scriptorẽ, ac tum idem frustra repetierim, vel priuatum aliquem hominem. Ego, vt liberem te hac molestia. testor non intellexisse au torẽ vllum Canonicum, sed quemlibet alium, siue priuatum (vt olim Iberes Christũ audierunt ab vna muliercula captiua, Indi ab Ædesio & Frumentio, Theodoret. hist. lib. 1. c. 15. 16) siue fungentem ministerio aliquo Ecclesiastico, vt Chrysost. narratur ad Scythas Episcopos misisse, Theodoret. hist. lib. 5. c. 3. Hic igitur quid habes quod reprehendas? Ridiculus es (inquis ipse valde serius) qui velis fidẽ nostrã vsqueadeò incertã esse, vt ex cuiusque hominis phãtasia & cõmentis pendeat. Hem! quando ergo somniasti me esse Papistam factum? nam hoc Papistarum est germanissimum dogma, vt fides pendeat ab hominum, hoc est, præsentis Ecclesiæ traditione. Μὴ φαύλου ποιοῦ [illegible] κενός! Sed quo tu tandem

artificio id concludis ex meis verbis? An quia nulli nos vnquam quicquam docent, nisi ij ex quorum phantasia & commentis pendemus? Tum igitur miseri tui discipuli, quorum quantacunque est scientia non nititur nisi tua phantasia tuísque commentis.

Sed comperisti aliquid etiamnum absurdius. Illud nempe quod dicebam, tum doceri veritatem ab Ecclesia, quum ipsa nesciatur aut non credatur; esse Ecclesia, & exclamas, me, aut non esse talem qualē me fratres existimant, aut non fuisse apud me. At qualem me fratres existiment, nec tu scis, nec tua interest: illi sanè me agnoscunt pro fratre, amant etiā plurimum, etsi sibi donis imparem: ego illos, vt debeo, veneror superiores doctrina, etsi pares munere. Fuerím-ne autem apud me, non tuum est iudicium, sed eorum quibus ingenium est magis humanum. Sed ad rem quidnam habes quod operæpretium sit nos audire? Dic, amabo te, inquis, quam autoritatem erga eos habet Ecclesia, qui non illam vt Ecclesiam agnoscunt? Nullam, inquam. Nam quia tam amicè orabas, non decuit nō exoratorē abire. Nullā igitur, nisi forte quam testis habet quilibet, qui sibi rem certo compertā narret, aut disputator, qui certis argumentis sibi fidem adstruit. Nec alia vnquam autoritate Ecclesia aut vsa est, aut vti potuit in eos qui nondum crederent: ne ipsi quidem Apostoli, quorum autoritati, nulla vnquam par fuit autoritas in Ecclesia. Petrus ea concione quæ describitur Act. 2. nusquam imperiosè præcipit Iudæis vt crederent in Christum: sed dūtaxat conatur persuadere, primo locis compluribus ex veteri Testamento, quæ quidem disputantis sunt partes, ad extremum suo testimonio

monio: Cuius, aiebat, omnes nos ſumus teſtes. Quod quum ita ſit, miror te negare hoc exemplo iuuari meam cauſam: quid enim? non adſtabat tota Eccleſia? teſtatur Lucas: non docebat veram doctrinam? ipſa concio præſto eſt. Agnoſcebatúr-ne pro Eccleſia? Imò cauillabantur Iudæi, Apoſtolos eſſe ebrios: & qui modeſtiores erant, dubitabant quid id eſſet. Ergo hoc exemplo euincitur tum poſſe nos doceri veritatẽ ab Eccleſia, quũ neſciamus eſſe Eccleſiam. Tu reſpõdes, eos quibuſcũ agebat Petrus, nõ ignoraſſe in Petro, & in iis qui cum illo erant, eſſe Eccleſiam Chriſti. Imo, inquam, neſciebant quidẽ vllam eſſe Eccleſiam Chriſti, tantum abeſt vt crederent eſſe verã Eccleſiã: itaque non poteras ſane magis te ridiculum præbere, quam oſtendens hoc tibi vel in mentem veniſse. Sed hanc vanitatem ipſe agnoſcens, addis non eſse neceſsarium in omnibus & ſingulis ſtatim ad autoritatem Eccleſiæ appellare, quũ multa alia ſuppetant, vnde ſumi poſsunt argumenta, in eam tamen fieri vltimam controuerſiarũ fidei reſolutionen. At ſic non ſoluitur meum argumentum: vt vt enim verum ſit ſuppetere multa argumenta præter autoritatem Eccleſiæ (quod quidẽ valde eſt neceſsarium, aliàs nulla foret fides) tamen non ſequitur eos qui veritatem omnino nunquam audiuerãt, quum eam primum audiunt ab Eccleſia, non credere eam eſſe Eccleſiam. Illud autem valde hereticum eſt, in Eccleſiam fieri vltimam omnium de fide controuerſiarum reſolutionem, quum poti⁹ debeat fieri in Deũ, cuius ſola autoritas ea eſt, quæ ſufficiat ſerio perſuadendæ conſcientiæ: Eccleſiæ verò aut nulla ſit, aut minima. Quod ais me ſic argumẽtari, Sermo Petri effecit vt Iudæi fidẽ in Chriſtũ cõ-

ciperent, & consequenter crederent Ecclesiam esse veram Ecclesiam; quia hoc vnum ex creditis est, ergo sermo est nota Ecclesiæ, facis vt iterum exclamem, Hem! quid mihi misero sperandum sit, si tecũ esset viua voce disputandum! Tu mea scripta peruertis, & ego te crederem viuam vocem fideliter excepturum? Imò ne tria quidem verba commutaremus, quin statim mea tuis permutares. Nego igitur me vnquam ita esse argumentatum: sed quum ex eo quod Ecclesia sinceritatem doctrinæ doceret, concluderes, Ecclesiam esse notiorem ipsa doctrina, negaui id sequi, cùm aliis argumentis, tum quia docens Ecclesia doctrinam prorsus ignoratam, ipsa etiam ignoretur esse Ecclesia: hoc autem vt ostenderem protuli concionem primam Petri quæ esset non solius Petri, sed totius adstantis Ecclesiæ, quæ ergo ostenditur prædicasse doctrinam iis qui ipsam nec scirent, nec crederent esse Ecclesiam. Hæc erat argumenti mei series, & ratio, pro quo quum tuum substituis, satis ostendis nihil habere solidi quod regeras, quin tu ergo sapis potius quàm calũniaris? Quam autem pro mea conclusionem reponis fidem ex auditu esse notã Ecclesiæ, admitto libens, dum addi patiaris, quod Apostolus noluit auulsum, auditum esse ex verbo Dei: quæ verba à te omissa faciunt vt suspicer nonnihil doli latere in his tuis quæ negant in Ecclesia vllum esse, aut fuisse, qui non crediderit fidei ætate sua annunciatæ, & per manus à maioribus acceptæ, & auditæ: nam illa, ni fallor, traditiones, id est, monachorum somnia indigetant. Quid enim? si nostra ætate ea annuncietur fides quæ non sit ex auditu verbi Dei? quid si ea per manus tradatur iam annis plurimis, quæ tamẽ nõ sit ab initio?

Tum

Tum nos ſanè & ab ætate ſua cuique diſſentiendum aſſerimus,& ad initia recurrendum, ſicut voluit Iren.ſi riuuli defecerint eundum ad primam ſcaturiginem: Romanam autem eam eſſe,quæ ex auditu credat,facilè tibi concedimus: ſed nõ ex auditu verbi Dei,quod illa ſupprimit quantum poteſt: concedimus etiam credere ex traditione de manu in manum,ſed cuius initium non ſit antiquum:ac proinde ipſa non vera,quoniam principalitas veritati, poſteritas mendacio ſit deputanda, autore Tertull. de præſc. Nec tibi multum fuit in eo laborandum, vt noſtram Eccleſiam probares non ſic credere:ipſi enim non coacti fatemur,ſed ſponte profitemur. De Luthero & Lutheranis rurſus nihil dico:de Caluino tantum. Is igitur,in antiquis libris, (hæc tamen vox tua eſt,non Caluini, qui de Conciliis tantum loquitur,ſed non intereſt multum) & purioribus Conciliis, eſſe ſcripſit aliquid quod iure deſideres. Enimuerò tu id neges? non meminiſti enim, opinor, cum Canonem quo in tribus Conciliis æquatus fuit Romano Epiſcopo Conſtantinopolitanus vobis minimè probari, quanquam eum immerito carpitis: ſed illa Epiſcoporum animoſitas, quam notat Caluinus in Concilio Nicæno,non tibi videtur indicium eſſe eorum hominum,qui homines eſſent?Sed hæc tamen quid ad rem faciunt? aut quorſum à te citata ſunt? An propterea noſtra fides non eſt antiqua,quia nõ omnia etiam minima probamus quæ in conciliis geſta ſunt? Dignum Ieſuita argumentum.Sed Caluini proximos locos,aut corruptos à tuo Bozio,nimiũ credulus aſſumpſiſti, aut ipſe nimium audax corrupiſti.Primus eſt Inſt.lib.4. c.8.§.7. Deum omnes loquendi partes in Filio im-

pleuisse:neque post hæc,vt antea, subinde per alios atque alios homines loquuturum, ideóque omniũ hominum ora clausa esse nunc debere, postquam semel loquutus est ille, in quo omnes thesauri sciētiæ & sapientiæ essent absconditi. Vnde tu concludis, Ergo fidem non esse ex auditu. scilicet quia Caluinus ipse non loquebatur,nõ docebat plebem suam, suggestum potius nihil dicturus ascendebat. At tu primũ non consideras ea quæ citasti verba: nõ enim ille simpliciter Deũ negauit deinceps per homines loquuturum,sed vt antea.Deinde ea omisisti callidè, quibus harum quatuor syllabarum põdus explicatur. Ea sunt hæc è multis pauca. Nec Prophetias additurum Prophetiis, aut reuelationes reuelationibus.Et post: Quo scilicet doctrinæ Christi perfectio ne cõtēti, discamus nullam vltra nouam aut nobis fingere,aut ab aliis fictã admittere. Hæc ille,vt intelligas iam tandem, sic omniũ hominũ ora clausa esse voluisse, vt non proponerent Ecclesiæ quicquã quod non haberent à Christo, quodque à se inuenissent: nam aperta eadem ora certè voluit ad docendam ipsam Christi doctrinam:itaque in hunc modũ concludit initio sequentis sectionis.Esto igitur hoc firmũ axioma,non aliud habendũ esse Dei verbũ, cui detur in Ecclesia locus,quam quod lege primum & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur: nec alium esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex eius verbi præscripto & norma. Exspectabo, vt audiam ex te ipso, an isthæc improbes, hoc est illud grauissimum Apostoli anathema flocci facias, quod ille secundo pronunciauit aduersus eos qui aliquid docerent præter id quod iam tum euangelizatum esset.Alter locus peius à te mulctatus est,ex eiusdem

c.sect.

c.sect. 9. hunc sic recitas. Non solùm singulis pastoribus negatur illa potestas, vt certam sibi fidem haberi iure postulent, quia permittitur vt loquentibus Prophetis duobus aut tribus ceteri diiudicent: verum etiam toti Ecclesiæ hoc negatur, quia ad Rom. 10. dicitur, Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Ergo à solo verbo Dei pendet fides. Hactenus tu. En tibi contra locum integrum. Constituimus igitur, non esse iam fidelibus ministris relictum, vt nouum aliquod dogma excudant, sed simpliciter inhærendum esse doctrinæ cui Deus omnes sine exceptione subiecit. Hoc quum dico, non tantum ostendere volo, quid singulis hominibus liceat, sed quid etiam vniuersæ Ecclesiæ. Quantum ad singulos attinet, Paulus certè Corinthiis ordinatus erat à Domino Apostolus, fidei tamē illorū dominari se negat. Quis iā dominiū arrogare sibi audeat quod sibi nō competere testatur Paulus? Quod si hanc docendi licentiā agnouisset, vt quicquid tradiderit pastor in eo certā sibi fidē haberi iure postulet, nunquā hanc disciplinā tradidisset iisdē Corinthiis, vt loquentibus Prophetis duobus vel tribus, ceteri diiudicarent: quod si alicui sedenti reuelatum esset, primus taceret. Sic enim nemini pepercit, cuius autoritatem verbi Dei censuræ non subiiceret. At de vniuersa Ecclesia, dicet quispiam, alia ratio est. Respondeo, Paulum huic quoque disputationi alibi occurrere, quum dicit, fidem esse ex auditu, auditum autem ex verbo Dei. Scilicet si à solo verbo Dei pendet fides, si in illud solum respicit & recumbit, quis iam totius mundi verbo locus relinquitur? Hæc Caluinus, Ignati, quæ quantum distent à tuis, iā perspicis opinor: certè tum quum tu loquebare,

siue potius tuus Bozius, absurdum illud Caluinus asserebat, non posse Pastorem aut Ecclesiam totam sibi fidem haberi iure postulare; quod illi profecto nunquam venit in mentem: sed ipse quum loquitur, audimus asserentem, non esse hoc ius pastoris aut Ecclesiæ, vt quicquid tradiderit etiam suum, etiam non verbum Dei, sibi fidem haberi postulet: quod si tu neges, tum ego tua heresi vix vllam perniciosiorem dari posse prædicabo, imò me tacente omnes videbunt. Verbum, inquis, est quod ore profertur. Ita est sanè, inquam. Auditus est, inquis, per aures. Quis dubitet? inquã. Quorsum igitur, inquis, quod est oris traducit ad scripta: & quod est auditus, transfert ad libros? Atqui, inquam, primum quod ore profertur, id calamo scribitur: ac proinde verbum id est etiam, quod calamo scribitur: deinde quod scribitur rursum ore profertur: itaque nihil est absurdi, vt quod scriptum est, id etiã referatur ad auditum. Denique vos ita hæretis & verbo & auditui, vt negligatis Deum, quem tamen nominatum Paulus voluit: nõ enim simpliciter, verbum, dixit, sed, verbum Dei. Caluinus autem qui nouit non discerpere quæ Deus coniunxit, non verbum solitarium, sed verbum Dei considerauit: atque eo niti dixit totã Ecclesiæ docẽdæ rationẽ. Hoc igitur vos tandẽ aliquãdo, Iesuitæ, aduertite, quum, verbum, Paulus nominauit, non attendisse sonum illum, qui intermedio aere aures verberet, sed id ipsum quod eo sono significatum mentem moueat: quod quum æquè in scriptis sit atque in sono, proinde non magis sonum quàm scripta significata ab Apostolo. Pulchrè in hunc locum Caietanus: non enim is semper malè, etsi Cardinalis, etsi Lutheranis infensus. Pulchrè igitur

igitur ille. Auditus populi reuelatur à verbo Dei reuelato Prophetis & Apostolis: vt de primo ad vltimũ, fides ex verbo Dei nõ hominũ intelligatur procedere quoad determinationem credendorum: ita quod fides vtrinque est à Deo; vnde nulla hominum autoritate possunt credenda noua introduci: sed ea tantum explicari quæ per verbum Dei reuelata sunt, Apostolis & Prophetis. Et te iam misereat Caluini? nempe vt egeat etiam Cardinalis te intercessore apud Deum: mirum enim nisi eum saltem in Purgatorio constituas, ob hæc dicta tam Lutherana: aut quia Luthero vobis Caluinus molestior est, etiam Caluiniana. Venio ad reliqua: Caluinus igitur ausus est affirmare, vetustissimos patres in sacrificio Missæ imitatos propius esse Iudaicum sacrificandi morem, quam aut Christus instituerit, aut Euãgelij ratio ferebat. Imò, inquam, Caluinus de sacrificio Missæ non loquitur, sed de Cœna Domini, quam illi, etsi paulum inflexerant, tamen celebrabant, quum vestra Missa nihil habeat prorsus, quo possit agnosci pro Cœna Domini, Sed quid tum si id dixit Caluinus? an ideo necesse est fidem nostram non esse antiquam? Ridiculum. Dixit idem, eosdem in describendis pœnitentiæ fructibus dupliciter modũ excessisse. Imò nõ in fructibus describendis, sed in exercitiis cõmendandis. Locus est integer. Eiusmodi exercitia sæpe commemorant vetusti scriptores, quũ de pœnitentiæ fructibus loquuntur. Quanquam autem vim pœnitentiæ minimè in illis reponunt, veniam tamen mihi dabunt lectores, si dixero quod sentio, plus æquo certè insistere in his mihi videntur. Ac si quis prudenter expendat, mihi, vt spero, assentietur, dupliciter eos

modũ excessisse: nã quũ tantoperè vrgerent ac immodicis elogiis cõmendarent corporalem illam disciplinam, hoc quidem consequebantur vt plebs eam maiore studio amplecteretur: sed quod longè maioris momenti esse debet quodammodo obscurabant. Deinde in exigendis castigationibus fuerũt aliquanto rigidiores, quam ferat Ecclesiastica mansuetudo. Hæc Caluinus, cui vides te aut tuũ Bozium dupliciter iniuriã fecisse: primò, quod cũ de fructibus pœnitẽtiæ agere dicatis, quũ agat de exercitiis: deinde, quod locum truncaueritis, subticentes quænam illa essent eius animaduersionis capita: mirum autẽ ni vos saltẽ secũdo subscribitis, apud quos piaculũ est fornicantẽ sacerdotẽ deturbare, quod illis erat perpetuũ. Idẽ profitetur in precibus pro defunctis, mandato Dei & legitimo exemplo destitutos, Ita: & meritò sanè dixit. Quid enim? an tu eum præstare censes debere, quæcunque antiquis aut facta sunt aut dicta? Ne vos quidem ipsi huic vos legi subiicitis: quam multa enim immutastis in vestris ritibus? Sed hoc rursum non pertinet ad rhombum, neque legitima est conclusio: Caluinus ita censet, ergo eius fides non est antiqua. Itaque potuisti maiori cum laude tuæ modestiæ, tuíque ingenij Caluinum quieti suæ permittere, à me non discedere; ad quem quia redis tandem sequor te, vt videam quid desideres.

Quæ respondebam vt tibi satisfacerem, de Iren. & Tertul. negas intelligere, nimirum ab heresi fascinatus. Sed videbit, inquis, qui oculatior erit. Et ego, accipio, inquam, conditionem. Vos igitur quibus cum Ignatio non sunt oculi lippientes, huc adeste, & quid dicam attendite. Negabat Ignatius sinceritatem

tem

tem doctrinæ eſſe eſſentialem, perpetuam, certam notam Eccleſiæ:negabat hoc argumento, quia ipſa diſcēda ſit ex Eccleſia:hoc autem probabat ex Iren. & Tertul. qui ad antiquiſſimas Eccleſias recurrendum dixêre, ſi quando de doctrina incideret diſputatio. Hic ego quid reſponderim, quæſo attendite: ille enim ſe negat capere, vos pro ſua modeſtia iudices adoptauit. Animaduerti volebam ab iis nominari, primum non Eccleſiam, ſed Eccleſias; deinde Eccleſias antiquiſſimas, quum nobis quæſtio eſſet de Eccleſia, vt agnoſceremus noſtræ ætatis Eccleſias:tum ſubiiciebā, etſi in ſingulis Eccleſiis agnoſci poſſit veritas doctrinæ, non ſequi tamen non eſſe eā ſinceritatē notā Eccleſiæ: nā ratio in ſingulis hominibus animaduertitur, quæ tamen nota ſit hominis. Hoc ille, ô vos quicunque eſtis oculatiores, ille, inquam, negat videre quid ad rem faciat: ſed vos profecto videtis. Si tamen & vos permittitis, & ille non iraſcitur mihi vt aliis δευτέρας φροντίδας εἶναι σοφωτέρας; nunc addā quod illi lippitudinē auferat: hoc ſcilicet, eo magis eſſe ſinceritatē hanc notam Eccleſiæ, quia à ſingulis Eccleſiis diſcenda, quemadmodum, ideo eſt ratio nota hominis, quia in ſingulis hominib. animaduertenda: nam aliàs non eſſet nota hominis, ſed tātùm quorundā hominū. Quid? ne hoc quidem animaduertetur, non propterea eſſe Eccleſia obſcuriorem eam ſinceritatē, quia à ſingulis doceatur Eccleſiis? Atqui etſi rationem inueſtigemus in ſingulis hominibus, non eſt tamen ratio obſcurior, aut ignotior, ipſo homine: imò verò eò inueſtigatur in ſingulis hominibus, vt ipſa prius cognita nobis efficiat cognitum quid ſit homo. Hoc vos qui eſtis oculatiores ſine dubio videtis cuiuſmodi ſit, vt vt ille non

possit oculis quantum contendere Lynceus. Nunc ad eum redeo, vt discam meas ineptias, quas noluit dissimulatas quo est animi candore: vos interea strenuè fungimini vestro munere. Ad te redeo igitur, Ignati, bone Iesuita, qui meas mihi ineptias tam serio vis cognitas. Dixeram nō disputare nos de indiuidua Ecclesia, sed de specie. Hic tu, vt ineptias meas optimè probes te non dissimulare. Ecclesia, inquis, Catholica, Chamiere, non est totum vniuersale, atque id tuis Dialecticis tyronibus notum esse asseris. Heus, heus: heus, inquam, ô vos illi: vos appello qui estis oculatiores, à quibus iamiam discessimus: Adeste huc ad nos rursus, audituri Dialecticos illos Turnonenses, qui totum Aristotelem etiam infantes imbiberunt: illos, inquam, Dialecticos, à quorum tyronibus Dialectica, si ex orbe nostro perisset, erat restituenda. Hi Dialectici negant Catholica esse vniuersalia. Hoc volui, huius diuini acuminis ne essetis nescij: reliqua cum Ignatio meo facilè transegero. Est igitur te iudice, Ignati, Ecclesia totum integrale, cuius partes non sunt indiuidua. Sic tu, sed vt canis è Nilo bibit, & fugit, duobus verbis indicasse contentus. At ego contra assero, Ecclesiam Catholicam esse totum vniuersale, cuius partes sunt indiuidua. Totum esse, tu ipse concedis: Esse vniuersale, ipso nomine ostenditur: nam τὰ καθ᾽ ὅλου sunt vniuersalia. Esse autē eius partes indiuidua, hinc scias, quod & singulæ idē habent nomen cum toto, & non subdiuidūtur in alias: nam Ephesina, vt hanc pro exemplo nominem, & erat Ecclesia Catholica, & nō diuidebatur in partes quæ ipsæ essent Ecclesiæ Catholicæ, sed tantum singuli fideles eius membra: quemadmodum singuli homines,

homines cum toto suo vniuersali suum nomen habent commune: nec diuidūtur nisi in particulas, quæ ipsæ singulæ homines non sunt. Pergis disputando. Species & reliqua vniuersalia mentis tantū ope existunt. Nempe, inquam, sic Ecclesia, quatenus totum significat compositum ex singulis Ecclesijs, non subsistit per se, sed tantum in indiuiduis, proinde est in mente. Rursus, Vniuersalia non sunt visibilia. At neque mortalia, inquam: & tamen homines mortales dicimus: nec corporea, & tamē essentiā corporalem scholæ nominānt ἐν τοῖς καθ' ὅλου. Nimirū, quia nō subsistūt nisi in indiuiduis, ideo ab indiuiduis denominationē sortiuntur: vt si mihi eæ omnes substātiæ animo obuersentur, quæ singulæ sunt corporeæ, tum ego genus nominabo essentiam corpoream: ad eum modū, quia mihi in animo erāt omnes Ecclesiæ, quę singulæ visibiles sunt, idcirco Ecclesiā Catholicam dixi esse visibilē, etsi reuera ipsáque ἐνεργείᾳ visibilis sit dūtaxat in indiuiduis. Addis, Ecclesiā Christi esse vnam indiuiduam Ecclesiam, distinctam ab omnibus Ecclesiis, seu conuētibus hominum, sicut Respub. Gallorū, est vna numero respub. à rep. Anglorū & ceteris diuersa. Ego Ecclesiā Christi fateor vnā; fateor distinctā ab omnibus aliis cōuētibus: sed nego propterea esse indiuiduam, aut vnam numero. Nam substantia corporea est vnum quid: est etiam reipsa distincta ab aliis substantiis, & tamen non est vna numero: exemplum autem tuum non quadrat, quia resp. Gallorum vnum est reuera integrale, quod sub se non comprehendat alia indiuidua, etsi partes habeat, vt prouincias & vrbes, quarum tamen singulæ non sunt Respublica Gallorum: ea enim est regnum, illæ verò non sunt totidem regna: quod

contra esse in Ecclesia Christi iam ostendi. Quum autem dixissem rationem esse notā hominis, & doctrinam, Ecclesiæ, in eo tu acumē meum admiraris. &, ergo per te, inquis, essentia & definitio alicuius rei, erit ipsius nota atque indiciū: & eadem quæstio de definitione Ecclesię, & de notis Ecclesiæ. Respōdeo, me id fateri, si notas non quascunque accipias, sed eas quas thesi prima designabā veras, essentiales, perpetuas: atque hanc ei quæstionem homini necessariam esse, qui Ecclesiā velit nosse serio, vt nunquā fallatur: nunquam enim melius aliquem hominum cœtum probari esse Ecclesiam, aut negari, quàm ex definitione. Itaque non est quod meum acumen posthac irrideas: ego potius tuum, qui mihi notas definis externum aliquid & aduentitium ei rei cuius est nota, ab illa omnino distinctum: quum ego in thesibus essentiales notas potius nominassem. Egregium disputatorem! qui cùm de essentia interrogatur, de accidente respondet. An tu igitur nullas notas esse censes non accidentales? Atqui ex Philosophia dixeram caussas rem nō tantùm constituere, sed etiam ostendere, te non impugnante.

Hæc erat prima mea ad Iren. & Tertul. responsio. Altera, erat, quū dicerem loquutos esse de antiquissimis Ecclesiis, nos autem loqui de agnoscēda Ecclesia nostri temporis. Hic mones vt constem mihi: satis vtiliter, nisi ipse in eo laborares vt efficias ne mihi constem: sed vtiliter nihilominus, quia tuum conatum non attendens quid mereatur, consilium valde probo: quanquam quod sciam nondum à me ipse discesserim. Sed, inquis, dicebas modò agere te non de indiuidua Ecclesia, sed de ipsa specie. Ita dicebam prorsus: sed tum quum quærebam notas es-

sentia-

ſentiales, vtiles ipſis indiuiduis agnoſcendis. Sed putáſ-ne, inquis alias fuiſſe ſpecies rerum à mundi exordio, quam nunc ſunt? Imo, inquam, non ſanus ſim ſi hoc putém. Quid ergo hic diſtinguis tempora? nimirum, inquam, quia Eccleſiæ antiquiſſimæ non ſunt ſpecies, ſed eius ſpeciei indiuidua quædam: Eccleſiæ item illæ in quibus agnoſcendis laboramus, alia quædam indiuidua. Ad rectè autem agnoſcenda indiuidua, neceſſe eſt ſpeciem quid ſit, prius ſciri: itaque diuerſas arbitratus ſum quæſtiones de notis eſſētialibus Eccleſiæ in ſpecie, & de agnoſcēdis Eccleſiis particularibus: quia in argumento cōcludendo, primo cōſtare debet maioris veritas, tum ad minorem deueniendū. Quare quod interrogas, putém-ne aliam fuiſſe Eccleſiam temporibus Apoſtolorū, aliā quæ nunc eſt, fruſtra quæris: ſed facilè tamen reſpōdeo, non putare eſſe: ſed eas nihilominus, quæ tēporibus Apoſtolorum eſſent Eccleſiæ, perſpicuè videre non permanſiſſe eaſdem, ideo negare eſſe hodie Eccleſias: vnde etiam nobis illam oriri quæſtionem de agnoſcenda Eccleſia, in qua, quia vobis ipſi eſtis conſcij non retinuiſſe eſſentialia, ideo ſtrenuè laboratis vt pro iis accidentia obiiciatis, non aliter quā in quæſtione de Antichriſto, etſi alio ſine. Nam quū eius veras & eſſentiales notas in ſcriptura propoſitas, ipſa vobis conſcientia clamet omnes conuenire veſtro illi Tarpeio Ioui quantum poteſtis abducitis hominum animos ab iis notis, ad neſcio quas φλυαρείας αὐτοὶ ὑπερλίαν φλήναφοι, Antichriſtū eſſe indiuiduum hominem, Iudaicum Meſſiam, reſtauratorem templi Hieroſolymitani regnaturum annos tres cum dimidio, & neſcio quæ alia: ἀγνόοντες οὐδὲν εἰ μὴ τὴν τῶν φρενῶν ἀῤῥωστίαν γενναίως ἐνδεικνῦντες.

Porro dixeras prædicationem, esse prædicationem & interpretationem veræ scripturæ, quam nos quæ esset, ex testimonio duntaxat Ecclesiæ disceremus. Responderam, primum non esse me loquutum de prædicatione, sed de ipso verbo, vnde ipsa prædicatio iudicari debeat: secundò, nos scripturam verã quæ sit, non scire ex testimonio duntaxat Ecclesiæ. Ad primum, interrogas, ipsá-ne Biblia sacra intelligam in arca in musæo recondita: in eóque me facetũ arguis: ego verò te insipidum, qui non putes verbum Dei distingui posse à sua interpretatione (sic enim prædicationem definieras) nisi statim codicẽ in arca aut musæo cogitemus, atqui ego potius ipsum verbum quod in eo cõtinetur codice cogitabã in corde eorum qui dicuntur Ecclesia, quã in ore eorum qui Ecclesiam docent. Sed heus tu, bone vir, potin' es mihi locum indicare, in quo dixerim concionem Petri fuisse notam Ecclesiæ iis qui per eam conuersi fuerunt ad Christum? aut potin' es potius teipsum aliquando assuefacere, vt bona fide mea referas? nam Petri concionem nullo loco nominabam nisi quum ostenderem posse veritatem doceri ab Ecclesia, quum nesciretur esse Ecclesia. Vrgebat te, vt video, Berœensium exemplum. Non nego, inquis, huius, vel illius priuati hominis prædicationẽ ad scripturã esse exigendã quando de Scriptura quæstio nõ est. Sed si de ipsa Scriptura lis est, aliũ iudicẽ, qui vltimo iudicio litẽ dirimere ac definire posit, quàm Ecclesiam non habemus: in quibus tuis verbis vide quid desiderẽ: primum, vellẽ mihi causam reddi, cur Paulum vnum aliquem priuatũ hominẽ appellaris, qui fuit Apostolus, & quidem nulla re minor principibus Apostolorum, atque adeo ipso Petro.

Petro. Secundo, hæc verba mihi sunt ambigua, Quãdo de ipsa Scriptura quæstio non est. Quid enim? intelligís-ne quando de ipsis libris constat, siue de eorum Canone, qui sint γνήσιοι & Canonici, qui νόθοι & Apocryphi? An potius de eorum ipsorum librorũ sensu seu interpretatione? De Canone, non magis tum constabat, quam nunc, quia Pauli tempore non erant alij Canonici veteris Testamenti libri, quàm ij quos vobiscum recipimus: ij enim quos intrudere vultis non habebantur in hoc ordine. Itaque nihil obstaret quominus etiam nunc quælibet cuiuslibet prædicatio exigeretur ad scripturã. De interpretatione autem quis credat tum conuenisse inter Iudæos & Paulum? & tamen non fert indignè Paulus suam prędicationem examinari ex Scriptura. Nimirum non didicerat apud Papistas esse eam incertam, mancam, imperfectam, sed & perfectam, & suo certo sensu constantem, quæ non posset ad hominum arbitrium quotidie immutari, quę posset etiam ipsos contumacissimos aduersarios conuincere, vt vt illam sophisticè, aut se potius ipsos vesane torquerent. Tertiò, dico te nihil promouere, qui quum me audires asserentem, si Scripturæ aliunde certitudinẽ nullam haberẽt quàm ab Ecclesia, nullam habituras omnino, hic tamen tantum asseras nõ etiam probes, quum de Scriptura controuersia est, nullum superesse iudicẽ præter Ecclesiam, quod tamen ipsum sic refuto. Quum hęc incidit controuersia, aut incertus est Canon, aut interpretatio. Si Canon, tum aut totus respuitur, aut pars duntaxat. Si totus, tum negotium est cum infideli, quem ne ipsa quidem Ecclesia persuadebit sua autoritate. Si pars duntaxat, tum aut vetus Testamẽtum, atque

hoc casu nouum sufficiet:aut Nouum, ac tum Iudæi erunt impugnandi apud quos nihili fit Ecclesia Christiana,reuincendique sunt ex veteri Testamento. Ac proinde quoties Canon controuertitur non est sola, aliquando etiam nulla, Ecclesiæ autoritas iudex controuersiarum.Iam quod ad interpretationem attinet, locus erit aut perspicuus,aut obscurus. Si perspicuus, vident omnes non posse dubitari de interpretatione: sin obscurus, præscripsit Augustinus,huiusmodi locis lucem afferendã ex magis perspicuis. Itaque ne quidem quum agitur de interpretatione, autoritas Ecclesiæ sola esse potest à qua sit pendendum. Augustini locos,quibus ille se testatur solis Scripturis summam autoritatẽ tribuere, etiam aduersus Episcopos, valde attingis leuiter, quasi nihil ad te pertinerẽt. Nõ iurauimus,inquis,in verba huius vel illius,vt quicquid dixerit verum putemus. Saltem verò, inquam excepisses Vaticanum illum Iouem, quem creditis errare nunquam posse, eiúsque decreta sic accipienda, vt ipsissimã Petri Apost. vocẽ,sed id tamen non solũ dixerat Aug. addiderat enim se solis scripturis canonicis id tribuere,vt nũquam errarint. An vos cum eo censetis?

Magnum vero narras infortunium,fermè tibi excidisse comparationem meam? nempe somniculosior meas literas legisti, quod quidẽ reliqua tua facilè probẽt, vt hoc infortuniũ tacitus præterisses.Accepimus,aiebã,à magistris pueri Dialecticæ præcepta: sed quæ sit vera Dialectica, & quis eius præceptorum verus sensus, ex testimonio magistrorũ dũtaxat nos discere,si quis affirmet, hũc ego vix habeã pro sano.Hæc ego inquã,totidem verbis: habes-ne aliquid quod reprehẽdas? Imò interrogas,quid velim

lim concludere,nec exſpectato meo reſponſo, ipſe tibi ſic reſpondes, vt certius probes ſomno te magis quam ſcriptioni dediſſe operam, quum hæc tibi exciderent. Vis igitur me ſic concludere:tametſi ab Eccleſia ſcripturas acceperimus, aliunde tamen verum eius ſenſum & interpretationem conquirere nos debere. At facis mihi iniuriam, qui mea toties deprauces: nõ dixi debere nos aliunde, quaſi nunquã ab Eccleſia liceat: ſed tantum aliunde etiam, nobis eum ſenſum cõſtare poſſe, & quidem multo certius quàm ab Eccleſia; quemadmodum etſi à magiſtris habemus & veram Dialecticam, & verum ſenſum præceptorum, tamen nihil obſtet quominus ea ipſa aliunde habeamus,& quidẽ ſi nõ minori labore certe multo certius.Sed hîc tu ſatis audacter: eandémne,inquis,doctrinæ fidei & ſcientiarũ rationem eſſe exiſtimas?Imò poti⁹ ego tun' doctrinã fidei & ſciẽtiarum nulla vnquã in re ſimilẽ eſse exiſtimas?nã ego illud quidẽ putaui nũquã,ſed nec hoc tamẽ mihi poſsum perſuadere:nã in eo ſaltẽ fidẽ & ſcientias nõ eſse diſimiles exiſtimo, quod vtræque homines habeant doctores, quorũ tamẽ autoritati dũtaxat non nitantur. Pergis, &,noſtin, inquis, quid ſit credere quid ſcire? Propemodũ, inquã, niſi tibi forte aliter videtur. Sed non videtur opinor: nihil enim adfers quod neſciam, diſcipulos quandiu diſcũt credere, quũ didicerunt ſuo vti & iudicio & arbitrio, aſsentiánt-ne, an diſsentiant. In doctrina autem fidei, & addiſcentem credere, & poſtquã didicerit etiã credere,id eſt,Dei per Eccleſiam reuelantis autoritate niti:neque enim ratione naturali inueſtigari poſse ea quæ fidei ſunt. Sed hæc omnia, quid contra me faciát exſpecto dũ dicas: An enim quia ſemper opor

tet nos niti autoritate Dei reuelantis, ideo absurdè dixerim mihi non per Ecclesiam duntaxat constare verũ Scripturæ sensum? Imò, quia me oportet niti autoritate Dei, eo ipso argumento, nego mihi nitendum esse sola Ecclesiæ autoritate. Est autem, importuna (ferè excidit vt impudentem dicerem) illa tua criminatio, nostro pede nos omnia metiri, ad nostri iudicij & ingenij regulam exigere vniuersa. Nos enim scimus contrà esse: imò sciunt ij qui nos norunt, in quibus tu non es, qui ne de scriptis quidem nos tibi cognitos esse voluisti, eóque minus testis admittendus, aut etiam accusator audiendus. An enim ideo nos necesse est omnia ad normam nostri ingenij exigere fidei mysteria, quia nolumus ab hominum autoritate pẽdere? Imò vos estis, vos estis, Ignati, crudelissimi fidei tyranni, qui eam hominum autoritati subiicitis. Locũ Cypriani, quorsum citaueris, non valde video, nisi quia forte, volueris mihi in memoriam reuocare tuorum hominum stuporem, qui adeo, aut noluerint, aut non potuerint contextum eius epistolæ obseruare, vt quæ de seipso is Pater dixit, torqueant ad Romani episcopi in omnes tyrannidem. Nam ad nostram rem aliquid esse quod faciat, tum videro quum indicaris: Credo enim etsi episcopis suis quilibet è plebe, aut etiam è clero obtemperare debeat, non tamen solam esse Ecclesiæ autoritatem, cui fides innitatur.

Sed quæ diximus adhuc omnia pertinebant ad primũ argumentum. Secundo asserebas, doctrinæ veritatem non esse propriam Ecclesiæ, hoc medio, quia eam sibi omnes hæreses vẽdicarent: quod quia vt absurdissimum commentum irridebam, tu mihi risum Megaricũ obiicis, quũ tu potius aduersus stimulum

mulum calces. Gestio autem videre quomodo huic absurditati medicinam facias. Asseris notas cuiusque rei, non tantum re vera proprias esse debere, sed etiam hominum opinione. At hoc σοφὸν φάρμακον nihil te iuuat: potius ostendit merito mihi risum fuisse excitatum: non enim negabas sinceritatem doctrinæ propriam esse Ecclesiæ hominum opinione, sed simpliciter. Quod ea nota non sit propria, inquiebas, hinc manifestum est. Et verò hoc ipsum quod nunc addis, non quadrat iis quæ prius scripseras: fatebaris enim posse etiam reliquas notas quæcunque proferrentur, ab hereticis vēdicari: propterea eò confugiebas vt diceres statim falsi argui. Responde hîc mihi quæso. Hæc tua arguēdi facilitas, efficit-ne vt etsi eas notas sibi vendicent heretici, non tamen minus illæ sint propriæ ipsi Ecclesiæ hominum opinione, an potius non efficit? Si efficit, ergo & sinceritas doctrinæ inuenietur etiam propria Ecclesiæ hominū opinione: quis dubitat enim omnes hereticos falsi argui posse, quoties penes se iactabūt esse eam sinceritatem? Sin autem non efficit, tum ne tuæ quidem erunt Ecclesiæ notæ: ac proinde sequetur nullas prorsus esse Ecclesiæ notas, quod tu, opinor, minimè cōcedes. Deinde, quorū, quæso, hominum hanc vis opinionem esse? omniúm-ne? ἀδύνατον. An aliquorum? Quorum igitur? Rectè-ne sentientium, an cōtrà? Horum? ἄτοπον. Si ergo illorum, litē producis in infinitum: erit enim quærendū quinam rectè sentiant, qui minus; vt taceam id examen fieri nō posse nisi ex ipsa doctrina, vt necesse sit doctrinā prius esse cognitam: taceam item hos bene sentiētes esse Ecclesiam; ac proinde absurdam fieri circulationem; Ecclesiæ notas eas esse, quæ ipsius Ecclesiæ

opinione ei ſint propriæ: quod ipſum tamen de ſinceritate aſſeretur. Sed has ἀπορίας tuum fortaſſe ſoluet exemplum. Proponis enim infidelẽ neſcio quẽ diuinitus commotum abiurare velle perfidiã ſuam, & adiungere ſe Eccleſiæ Chriſti. Optimè, res eſt enim boni ominis plena: vtinam pro Turca aut Iudæo, Ieſuitam nominaſſes; cui hominum generi nos tam ſerio optamus mentem meliorem: non ſanè quod non etiam Turcis ac Iudæis, ſed quia præſentia magis vrgent. Sed hic tamen ſiue Iudæus, ſiue Ethnicus, quid ſit facturus quæris, quum ei ſingulæ ſectæ ſe obtrudent iactantes ſinceritatem doctrinæ. Regeram tibi pro exemplo exemplum; vt tu ipſe mihi quum videbitur commodum, reſponſionem commodes. Faciamus hunc tuum ſiue Ethnicum, ſiue Iudæum, non in Germaniam venire, ſed Venetias accedere, vbi Græcos audio liberè ſuos cõuentus agere: dubitaréque vtris ſe adiungat, Romanenſibús-ne an Græcis. Quid aget? vtrique enim antiquitatem iactabunt, iactabunt ſucceſſionem, quas notas dicitis eſſe Eccleſiæ. Non reſpondebo ipſe mihi, quod tu ſoles facere: etſi ſatis videam quid cordato viro eſſet faciendum, ſi maximè eæ eſſent Eccleſiæ notæ. Imò vero, quid vlterius à te reſponſum exſpectem, quum in tuis prioribus, conſentiens nullas non poſſe notas ab hereticis vendicari, arguendos falſi dixeris? Sed nimirum terret te difficultas dignoſcendæ veræ doctrinæ à falſa. Quid? nũ veram antiquitatem à falſa diſtinguere fuerit facilius? nam tu mihi hominem obiecisti, qualem ipſe pro arbitrio finxiſti, illiteratum. Quid igitur, inquam? hunc ἀναλφάβητον, qui Irenæos, Cyprianos, Chryſoſtomos, Ambroſios, Auguſtinos, Baſilios non magis aut nouerit

uerit, aut audierit vnquam nominatos, quàm Platones, Aristoteles, Xenophontes, Porphyrios, aut reliqua scholarum lumina, certius diiudicaturum putas qui potiori iure sint in Antiquitate & successionē vendicanda, Græci an Romani? Iactabis, opinor, lõgam tuorum Episcoporum seriem: at Græci non erunt muti, qui suorum etiam nomina ad vnguem recitabunt. Expecto quonam acumine hunc illiteratum ad tuas partes pellicias. Ceterum de illo infideli tuo, respondeo, te præuaricari in exemplo constituendo. Nam quę caussa est cur inter varias sectas in Germania, etiam Romanenses non nominares? Deinde, quæstionem cur tantum repetis à sinceritate doctrinæ, non altius ab ipsis notis Ecclesiæ? Ego igitur sic potius exemplum constituo. Accedet ille quisquis est rudis, imperitus, illiteratus in Germaniam: quæret à Romanensibus, Lutheranis, Zuinglianis, (nam de his nominibus non est quod tibi nunc litem moueam) Anabaptistis, quænam & vbi sit Ecclesia. Ferte opem, inquiet, boni viri, huic non ita pridē infideli, nunc verò auenti se in Ecclesiā recipere, quā mihi nescio quis instinctus nominauit, indicans non esse apud eos quos detinet idololatria: nō indicans tamē aut quænā esset, aut vbi esset. Hæc pauca vbi dixerit occupabūt Romanenses ante alios loqui, suo vt opinantur iure, successores Petri, qui sic solebat suum testari œcumenicum Pontificatum, scilicet. Et loquentur vt solent magnificè, ac cum pompa, singula sua numerantes ponderantésque vocabula, vultu ipso totóque corpore in grauitatē cōposito, an satis etiā si placet lateribus, vt suæ Ecclesiæ maiestatem suo fastu sustineant: Et, huc accede, inquient, vbi Antiquitas est annorum imò secu-

lorum multorum; vbi est longa Episcoporum Romanorum sibi succedentium continuatio: vbi omnium est nationum, regnorum, prouinciarum, insularum, vrbium, oppidorum, vicorum, pagorum, domuum, virorum, mulierum, clericorum, monachorum, laicorum, coniugatorum, continentium consensus admirandus, ex Asia, Aphrica, Europa: nunc etiam tandem duabus illis aut tribus recens inuẽtis orbis partibus, in quibus Apostoli (sic Iesuitæ in argumentum modestiæ appellari se vulgo patiuntur in Hispania) mirificè laborant. Huc, huc, ô rudis, ô imperite, ô illiterate, huc inquam accedito, ea enim vera est Ecclesia. Commouebunt sine dubio hæc verborum μορμολύκεια hunc hominem. Sed reliqui, non adeo quidem fastuosi, arguti tamen, eóque Romanensibus infesti excipient subito. imò caue tibi, ô imperite, ab his Romanẽsibus: decipiunt te improbiores quàm astutiores, tua abutentes imperitia, cuius misereri potius oportuerat. Falsis Ecclesiam notis tibi describunt, quia veris iampridem destituuntur, quæ sunt in sinceritate doctrinæ & Sacramentorum: quæ quidem sinceritas initiũ dedit Ecclesiæ, imò formam dat Ecclesiæ, per quam res est id quod est. Hæc quum vtrinque sic fuerint dicta, nẽpe tum ille rudis, nisi sit stipite stolidior, intelliget sibi negotium esse dignoscendarum Ecclesiæ notarũ, verarum à falsis: qui poterit autem is, qui ne Ecclesiam quidẽ nouit, eius notas dignoscere? Explica nobis, prudentissime Ignati, acumen illud diuinum, quo te cõfidis posse illũ illiteratũ certũ reddere, ex incerto. Sed ipse potius vides, opinor eos qui ad Ecclesiam imperiti veniunt, sic assumendos, vt non relinquantur imperiti: non quidem vt ad scholas omnes de-

ducantur

ducantur, quod inuidiosè dicebas, quasi non possit pietas doceri, absque illis scholasticis tricis, sed vt possit religionis certitudinem suis oculis non alienis videre: quod vt fiat, nobis antiqui viam præiuére: qui proculdubio lusissent operam, si Ethnicorum errores expugnare tentassent, hoc solo argumento ab autoritate Ecclesiæ. Ij accommodantes se captui eorum quibuscum sibi res erat, paulatim variis argumentis scripturæ fidem conciliabant, vt ex ea scriptura posteà plenè & perfectè reliqua omnia demonstrarent. Aliam nos nullam viam nouimus, saltem certam, & quæ homines possit securos efficere. Quod autem ais falsum esse, facillimè hereticos coargui, teipsum arguis, non me: teipsum, inquam, qui mea non fideliter recitaris: neque enim dixeram facillimum esse hereticum redarguere, qui sciã quantis olim sudoribus id Episcopi Catholici fecerint: sed dixeram, primũ, non pertinere ad rem nostram faciliús-ne, an difficilius heretici arguantur mẽdacij in doctrina quàm in aliis notis: sufficere enim, si tandem redarguantur, vt sit Ecclesiæ propria sinceritas, cui tu responsioni nihil opponis. Deindè dixeram, nihil esse in quo illi facilius coarguerentur. An verò ideo oportet facillimè fieri, quia fit facilius? De autore operis imperfecti in Matthæum, irascár-ne, an misereat me tui potius? iram audacia meretur, miserationem cæcitas. Dixerat ille, nullam probationem esse veræ Christianitatis, nisi, ex Scripturis. Non vult, inquis, Scripturam esse Ecclesiæ notam: nempe Christianitas forte non est Ecclesia. Quo autem argumento id ipse tibi persuasisti? Quia (nam hoc dicis) inter alia cõmunia Catholicis, & hereticis, Scripturas ipsas numerat. Imò, inquam, non nu-

merat, atque hoc est audaciæ nimiæ argumentum: contrà potiùs, quia reliqua omnia quibus aliquando indicari poterat Ecclesia, communia essent hereticis, ideo concludit solam superesse Scripturam, vnde Ecclesia possit agnosci. Quis non videt, idem esse ac si diceret, Scripturam non esse communem? Sed ille vult, inquis, ex Scripturis cognoscendam Ecclesiã, quia nimirum ex illis deducuntur & colliguntur veræ Ecclesiæ notæ. Optimè, inquam. Euge, iam vir bonus es: mox autem quid? Naturam enim expellas furca, tamen vsque recurrit: & consuetudo est altera natura, vt vix te mihi persuadeam perseueraturum. Sed cauisti tamen bene, ne quas ille notas diceret, exprimeres: nam is profectò nobiscum facit, qui pro eodem accipiat Christianitatis probationem, Ecclesiæ notitiam, & sinceritatem fidei. Audi ipsa verba: Nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ diuinæ. Et post: Nunc nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Rursus, Mandat Dominus, vt Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia. Hæc ille, quisquis est autor, qui si iudex sederet nostrarum controuersiarum, tum vos funditus perissetis, Papistæ, qui quocunque confugitis potius quam ad Scripturas, scilicet, vt qui in rabiem versi sunt è canis morsu, in ignem se præcipites dent potius, quàm in salubres aquas. Sequitur argumẽtum tuum tertium,

quo

quo aſſerebas,doctrinæ puritatem poſſe abeſſe à vera Eccleſia. Tu me ais reſpondiſſe, ſinceritatem doctrinæ,non ſitam eſſe in indiuiſibili,ſed magnam habere latitudinem, ideóque quandiu remanet aliqua ex parte,in aliquo cœtu doctrinæ ſinceritas, tandiu ex eo capite poſſe eiuſmodi cœtum verã Eccleſiam cẽſeri.Egó-ne iſta?Egnon',Ignati,iſta? Imò nec ante tuas lectas, ſciebam quid Latinis eſſet, ſitũ eſſe in indiuiſibili:nec vnquam ſanè credidi tamdiu aliquẽ cœtum eſſe Eccleſiam veram, quandiu aliquid in aliquo capite veritatis retinet.Tũ enim ego vos Papiſtas abſque vllo dubio agnoſcerẽ eſſe Eccleſiã, & ſimili ratione,quotquot vnquã fuerũt heretici: imò quidni addã etiã infideles? Nã Turcæ ſaltẽ credũt vnicũ eſſe Deum. Sed nimirũ, non erat quicquã quo velares tuũ ad illa quæ multa regerebam tam altum ſilentiũ,niſi calũniareris.Tu illa relege:quorsũ enim deſcriberẽ?quaſi reliquæ tuæ nugæ,nõ ſatis me prolixè detinerẽt.Nam de ratione quod ais,me tranſire ab actu primo ad actũ ſecũdum, tantum eo factum vt ne prorſus taceres. Quid? tu cenſes ipſum actum ſecundum rationis,non poſſe hominẽ denotare? At cordatus quilibet contra cenſebit, quia ratio ipſa per ſe à nemine poſſit agnoſci, niſi duntaxat quum prodit in actum: propterea nihil in exemplo fuerit à me peccatum.

Quarto argumento aſſerebas ſinceritatem doctrinæ eſſe nonnunquam extra Eccleſiam,hoc eſt, inter ſchiſmaticos;cui ſi mihi nunc eſſet de integro reſpõdendum,teipſum tibi obiicerem, qui his tuis ſtatim initio pro conceſſo poſuiſti, non eſſe doctrinam Chriſtianam Catholicam orthodoxã, niſi in Eccleſia Catholica. Sed id tu videris otioſè. Reſpon-

debam autem, doctrinam & Sacramenta coniungenda ad plenam Ecclesiæ descriptionem: & negabam sacraméta apud schismaticos esse legitima. Hic, errare semper me dicis, quia notæ non debeant describere, seu definire id cuius sunt notæ. Hoc verò, quis vnquam audiuit, quæso? notas non tantùm non definire, sed ne describere quidem rem, cuius sunt notæ? Imò contrà, omnes notæ describere deben: aliàs ne notæ quidem futuræ: essentiales autem, etiam definire, alias non essentiales. Itaque reprehendis importunè. Addis, Schisma per se sumptum non magis repugnare, Sacramentorum vsui, quàm veritati doctrinæ: sed id dicis tantùm, non etiam probas: nam quod profers de verbo & elemento, huc non facit, quia ego non substãtiam dicebam esse corruptam, sed vsum: quum à Sacramentorum communione eos schismatici arceant, qui nullo iure sunt arcendi, nempe Catholicos, quibuscum nolunt communicare. Secundò respondebam, nondum vllos obseruasse schismaticos, qui nihil docerent falsi: tu excipis, eos vt suæ discessionis excusationem prætenderẽt, in heresim esse delapsos: nec ego repugnarim sanè; sed id mihi sufficit nondum vllum corpus separatum à vera Ecclesia ostẽdi potuisse, quod non potuerit argui falsi in doctrina.

Ergo manet certa mea prima thesis: nec tu eã vel tantillũ tuis argumẽtis commouisti. Itaque tandem aliquando incipe sapere, mi Ignati, incipe sapere & serio: potes enim iam cernere te delusum à tuis Bellarmino, Bozio, reliquis, quos sequeris in oppugnãdis veris Ecclesiæ notis: quorum is scopus est, vt te, vt reliquos te non diligentiores in negotio salutis, procul abducãt à veræ Ecclesiæ cognitione, ne suam

cogantur

cogantur desertam videre: cui quum essentiales nullas esse notas factas reliquas vident, ideo accidentarias nonnullas venditant, quibus fucum faciant imperitioribus. Adulterinam monetā nemo vnquam adulterator ad lydium patitur lapidem examinari, sed colorem iactat, iactat & pondus. Non potes magis propriam tuorum ideam hominum intueri. Nā quod ais, Etsi mihi concederētur eæ notæ esse quas nomino, non assequuturum, nostram Ecclesiam esse Catholicam, vestram non esse: vtinam ageres seriò: non auro contra quantum orbis capit conditionem permutarem. Non est enim tam certum hunc solem pleno meridie lucere, quam certum est vestram doctrinam hereticam esse, nostram doctrinam esse Catholicam: nostra Sacramenta esse integra, vestra Sacramenta esse corrupta. Nihil recusem, si quantulus cunque sum, non id demonstrem: Etsi tu satis confidenter, & vt eum decuit, cui nostri mores sunt incogniti: vt decuit, inquam, aduersarium, paratiorem ad obtrectandum quàm ad laudandū, nostram calliditatem traducas, quasi cum non potuerimus effugere quæstionem de Ecclesia, quod proximum est efficere studuerimus, vt infinita illa quæstio sit. At nos multò iustiùs querimur, vos quum ipsa docti experientia didiceritis in disputatione seria de doctrina semper victos abire, eò deuenisse quò sepiæ solent, quum tenentur captæ: pro veris verisimilia obiecisse, pro certis incerta: denique quum vndique tenemini, pro veris falsa, pro modestis impudentia. Æterne pater miserationum, his tu misellis hominibus mentem largitor saniorem, vt desinant aliquando in suum interitum sponte præcipites ruere.

Nunc veniendum ad alteram thesim, qua negabam Eccl. Rom. sinceram esse doctrinam, aut integra Sacramenta. De doctrina vnum exemplum afferebam ex Costero, qui non veritus est asserere, Sacerdotem coniugatum grauius peccare, eo sacerdote qui aut concubinam foueat, aut scortetur, quod ego sanè alibi nusquam inueneram scriptum ac proin de non parum mirabar quum primum legerẽ: nunc intelligo eam doctrinam omnium esse Iesuitarum, nec scio an & aliorum Papistarum. Imò etiam aliorum Papistarum: cur enim dubitem, ex vita coniecturā facere? Fornicarium manifestum Episcopum ne verbo quidem violant. Colonienses duos Archiepiscopos, quia vxorem duxissent, hoc nostro seculo, vi publica atque armis, deturbarunt: id eligẽtes potius vt quęcunque scelera bellum comitantur, in orbem inducerent, quam vt nõ fornicantẽ haberent vnum saltem Archiepiscopum. Iidem tamẽ hodie Cardinalis nuptias tolerantes, tam sunt impudenter προσωποληπται. Sed illud asserebam esse cõtra doctrinam Christi & Apostolorũ itémque antiquitatis. Scripturam quæ honorificè loquitur de matrimonio, ferire negas, Ignati, tuos. Nam cur inquam? quia honorificentius loquuntur de matrimonio quam nos ipsi. Itane? Illi-ne igitur honorificè loquuntur de coniugio, qui id postponunt scortationi? qui concubitum appellant & immunditias, qui eo pollui sacerdotes affirmant, & adeo pollui vt nõ possint Deo seruire? Et hos scriptura nõ feriat quæ asserit in omnibus cõiugium esse honestum? ne illa quidẽ quæ Episcopum irreprehensibilem esse vnius vxoris virum? Deus bone! quẽquã ne speret aliquis adeo perfrictę frõtis vt eum asserat nõ feriri ea scri-

ptura

ptura, qui tamen doceat sacerdotem vnius vxoris virum deteriorem esse eo qui palā scortatur? Quos ergo censetis, Ignati, eos homines quibuscum viuitis? Nam si cordatos, si homines, hæc profectò nunquam vobis exciderent: sed nimirum stipites, fungos, aut aliquid etiam infra stipites & fungos esse nos cēsetis omnes. Costerus, inquis, propterea grauius peccare asserit sacerdotē matrimoniū contrahentem, quàm fouentem concubinā, quia matrimonij Sacramento abutitur, quum inhabilis sit ad illud contrahendum. Imò, inquam puduit te fortasse Costeri, cuius sententiam non sincere recitaris: is enim non tantum nominauit cōcubinā fouētē, sed etiam fornicantē. Deinde, quod is Sacramēto abutatur, id non legitur apud Costerum, à te autē frustra dicitur: nam nec matrimonium est sacramētum: nec si esset, presbyterum, aut Episcopum eo abuti necesse est, & si abutitur, non tamē idcirco magis peccat, quàm fornicator. Tertiò, quod de inhabilitate dicis, est commētitiū: nulla enim ea est, nisi quam inuexit tyrannis, & superstitio, & ignorantia veri. Et si esset aliqua, tamen absurdè concludi affirmem, Inhabilis est, ergo grauius peccat, quàm si fornicetur: nam nec vllum est μέσον quo hæc extrema vinciantur, & inhabilitas illa non est nisi humana & positiua, tuo non tantum fatente, sed etiam ex professo disputante Bellarmino: at ius quo interdicitur scortatio est diuinum ac perpetuum, grauius autem peccat sine dubio, qui ius violat diuinum quàm humanū, perpetuum quàm positiuū. Denique dic ingenuè Ignati, nā hoc ex te valde scire cupio, censetu inhabilē reddi sacerdotē ad matrimonium contrahendum, ad scortandum verò minimè? Si asseris,

tum ego mirabor aut vestri sacerdotij sanctitatem, cui satis benè conueniat cum scortationis sordibus, aut scortorum vestrorum sordes, quæ nōn polluant sacerdotium. Sin negas, tum quæram quæ te ratio sic docuerit concludere, quia inhabilis sit ad matrimonium contrahendum sacerdos, & ad scortationem, grauius tamē peccare vxoratum quàm scortātem. Cœteri autē rationes sunt hæ: Prima, quia voto solenni castitatis fit iniuria: secunda, quia Ecclesia grauius vulneratur, cum qua tanquam sponsi sacerdotes sunt copulati: tertia, quia inuerecundius scortatur sacerdos, cum ea quā pro sua haberi vult; quarta, quia obstinata perfectáque voluntate perseuerat: quinta quia heresi vitiatū pectus habet, quod arbitretur esse nuptias quæ non sunt nuptiæ, sed peiora omnibus adulteriis sacrilegia. Quæ rationes, si per te non vides quam nullæ sunt, quæso vt à me audias. Prima, nō tantum falso supponit votum, sed etiam eo concesso non concludit: quid enim? scortatio non violat vōtum castitatis? Exspecto vt hoc etiam monstrum nobis non iam ex Africa, sed Româ veniat: quū igitur violetur castitas vtrinque (siquidē violetur matrimonio, sed nunc id non disputo) tamen scortatio peccatum est per se, non matrimonium: itaque grauius peccabit scortator. Secunda ratio, peccat περὶ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως: quod enim sponsi dicuntur Sacerdotes Ecclesiæ, figuratum est, non proprium: non impeditur autem à figurato matrimonio matrimonium propriè dictum, & si in figurato omnia sic obseruarentur vt in proprio, tū omnes presbyteri essent polygami, quia contrahunt spiritale suum matrimonium cum Ecclesia vidua, hoc est, quæ alios habuit maritos, quæ magna est irregularitas

laritas in iure canonico. Insuper non solum matrimonium, sed etiam scortatio abduceret ab Ecclesia sacerdotem. Tertia & quarta ratio petunt principium: & tertia manifestè matrimonij decus impetit, quũ cum scortari dicat, qui sit vxoratus, quæ sunt etiam contradictoria. Quinta, rursus assumit, quod est probandum,& implicat contradictionem, non esse nuptias quum cõtrahitur matrimonium: augétque propositionis impietatem,præferens etiã adulterium matrimonio.Itaque iam, opinor, vides tuum Costerum non potuisse ineptius disputare. Quod autem me debuisse ais,probare liberum esse sacerdotibus, & aliis qui solenne votum emiserunt coniugia celebrare, non video quorsum spectet,nisi forte vt tibi ansam præberem mei irridendi:quid enim necesse est eo diuertere, vt probem sceleratè loquutum esse Costerum?An enim quia nõ possunt contrahere matrimonium qui voto se obligarunt: ideo necesse est eos magis peccare qui vxori copulantur, quã qui libidines vagas sectãtur? Quod tamẽ ideo à me dici caue fingas, quod immanem vestrã tyrannidem in cœlibatu probem: quæ mihi si nunc proposita esset exagitanda,facile ostenderem non tantum à fide, sed etiam ab honesto vos infinitis parasangis discessisse: & fiet aliàs fortasse Deo bene iuuante: nunc autem non efficies, Ignati, vt discedã à proposito. Iterum verò amandas me ad tuum Bellarmin. quasi pigeat incœptæ disputationis. Atqui id Bellarmin. nunquam dixit quod Costerus, sceleratius esse matrimonium scortatione: quorsum igitur ego ad eum?Sed nimirum indicasti quæstionem de cœlibatu, quasi iam non vidissem. Imò vidi, Ignati: & vidi hominem Iesuiticè disputantem, hoc

est, portentosè. Oportet Episcopum esse sobrium, esse continentem: nemo qui militat implicat se negotiis secularibus: Comesturi agnum renes suos accingebant: Iudæis legem accepturis mandatur vt ne accederent ad vxores: Aaroni & filiis eius vtendum erat fœminalibus lineis. Achimelec quæsiuit à Dauide, an purus esset à mulieribus: Sacerdotes veteris Testaméti per vices seruiebant altari. Ex his omnibus & singulis illud efficitur, Clericis abstinendum ab vxorib. O acumen! ô solertiam! ô Dialecticam! Crede mihi, Ignati, nunquam fuissem ausus hæc tibi portenta imputare. τούτων δ' ἐλέγχοι ἱκανοί.

Citabam illud Apostolicum, Honorabile coniugium in omnibus. Quid Ignatius? Dicit me concludere, Ergo etiam inter sacerdotes. Atqui falsum dicit: non quod hanc conclusionem improbem, sed quod non soleam ita extra meæ disputationis carceres vagari, quę erat, non de cœlibatu sacerdotum, sed de illa impura comparatione sacerdotis vxorati, cum sacerdote concubinario & fornicante. Veruntamen hanc ipsam consequentiam quomodo eneruat? Ergo, inferam ego (sunt eius verba) non ineptius quam tu etiã inter cõsanguineos in primo & secundo gradu. Itáne? tu igitur incestum appellas matrimonium Ignati? nempe aliud nihil exspectandum ab iis qui fornicarios sacerdotes castos nominant. Porrò non valde pugnem de illa voce ἐν πᾶσι sit'ne masculini an neutrius generis; semper enim meum constabit argumentum: nam si in omnibus rebus quæ sunt matrimonij, matrimonium est honorabile, tum illud profectò horrendum dictu est coniugatum presbyterũ magis peccare, eo presbytero, qui inter altare & lupanar sua diuidat tempora. Et

ra. Et hos ego crediderim castos, quibus est os adeo impurum? Citabam rursus egregium illum Pauli locum, quo ille Episcopum vnius vxoris virum appellat irreprehensibilẽ, quis sic audeat concubinarium? quis scortatorem? En repeto argumentum, Audite vos omnes Iesuitæ, qui exoleti scorti membra, præfertis vxoratis in sacerdotio: audite, inquam, & nisi estis desperati, bonam mentem assumite. Paulus Episcopum maritum appellat irreprehensibilẽ: quod si verum est, tũ illi diabolicè mentiuntur. qui sceleratiorem asserunt subagitatore prostibulorum, aut etiam alienarum vxorum sollicitatore. Et tamẽ obfirmat se Ignatius, vt est impudentia cedere nescia, ea verba negatiuè esse intelligenda. Quid hoc sibi vult? vt sit sensus Episcopum non debere habuisse plures vxores. Perge Ignati, & adde, sed posse habere plura scorta: placét-ne? Quo argumento illud tamen? duplici. Primum est, quia sic Chrysost. sentiat & reliqui Patres. Vidistin tu ipse? an potius vt reliqua, ex aliorũ fide? vtrunque certe falsum est. Chrysostomus dixit, non sic intelligendum, quasi neminem liceret in Episcopum eligi, qui vxorem nõ haberet: sub aliorum tamen persona obiter hanc etiam indicat tuam sententiam: sed adeo frigidè, vt facile appareat nõ probare. Quidam inquit, hoc ita intelligũt, vt ad episcopatũ is assumatur qui fuerit vnius vxoris vir: nec plura. Sed paulo post, in eum locum vbi de filiis Apostolus loquitur, hæc habet. Tunc nempe istud concessit pro tempore, ac pro rei natura, quæ tunc inerat: licet enim eam rem modestè ac licitè capere, siquis velit. Quemadmodum enim diuitiæ difficile in regnum cœlorum introducunt, sæpe tamen id diuites plurimi ingressi sunt: ita

& nuptiæ, licet difficultatis in se plurimum habeãt, ita tamen assumi possunt, vt perfectiori vitæ impedimento non sint. Ita Chrysost. Reliqui Patres etiã satis importunè nominantur: quid enim? omnésne nullo excepto? Imò Theodore us aliter, qui eos probat, qui sic verba Pauli intelligunt, vt ne iteratæ quidem coniugia damnentur, sed tantum eodem tempore multiplicatæ vxores. Dixerunt, inquit, diuinum dixisse Apostolum, eum qui cum vna vxore pudicè cohabitat, dignum esse qui ordinetur Episcopus: neque enim secundum, inquiunt, reiecit matrimonium. Et ad extremum. Hæc considerans, admitto eorum interpretationem qui sic intellexerunt. Etiam ipse Hieron. aliquando ad Oceanum. Præcipit Apost. ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi vendicent sacerdotes, ne bina pariter & trina coniugia sortiantur, sed vt singulas vno tempore vxores habeant. Denique Leo Magnus Epist. 87. Dicẽte Apostolo, vt inter alias electionis regulas, is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse, aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere sacerdotis eligẽda eadem intelligatur seruanda conditio. Rursus eadem Epistola idem negat Sacerdotes, eo quod vxores habeant, esse culpabiles. Secundum argumentum, quia hoc non sit præceptum Apostolicum: quod si sic intelligatur, vt noluerit Apost. omnes omnino Episcopos esse maritos, admitto, sed hoc nihil ad rem: non enim sequitur ideo non esse irreprehensibiles vxoratos, quia non omnes tenentur vxores ducere. Sed hoc certè egregium est mendacium: Quotquot hactenus Episcopi vel presbyteri sancti fuerunt à temporibus Apostolorum, quorum

vitam

vitam habemus, vel quos vnquam laudatos audiuimus, continentiam perpetuam seruauisse, neque vllum exemplum in contrarium ex probato aliquo autore afferri posse. Hoc, inquam, hoc egregium est mendacium à crassa ignoratione historiæ, quantumlibet à Bellarm. magno illo Iesuitarum columine totidem verbis assertum. Mitto Tertullianum: nam illum Papistæ non indigetarunt. Sed de Hilario, en tibi testimonium Ioannis Guillotij, eius qui Hilarij vitam cõscripsit. Vxoratum fuisse Hilarium, & vnius filiæ Patrem, non imus inficias: etiamsi nullus scriptorum veterum, præter Fortunatum, qui eius vitam descripsit, prodat historiæ, cuius sententiam postea sequutus est Mantuanus, vt apparet his versibus. Non nocuit tibi progenies, non obstitit vxor, Legitimo cõiuncta thoro: non horruit illa tempestate Deus thalamos. Quibus sanè significare videtur D. Hilarium vxorem habuisse, etiam dum Episcopatus officio fungeretur; quod si ita sit, ab hoc quidem munere non alienum tum putabatur: imò sæpius eligebantur in Episcopatum cõiugati quam virgines; quia isti non tam idonei curæ pastorali, quam illi videbãtur, vt scribit Hier. lib. I. adu. Iouin. nec quicquam adhuc fuerat sancitum de cœlibatu sacerdotum. Hæc ille de Hilario. Et nullũ tu exemplum afferri posse putabas? Sed agam tecum liberaliter, vt vno contentus non sim. Sozom. lib. I, c. II. de Spiridon. ἐγένετο γὰρ οὗτος ὁ ἄγροικος γαμετὴν καὶ παῖδας ἔχων· ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο τὰ θεῖα χείρων. & erat ille tamen Episcopus: Qui Greg. Naz. patrem Gregorium ipsum etiam Episcopum nescit mortuum esse superstite vxore, cum qua vixisset ad senectutem vsque, eum necesse est Nazianzeni, vt ita dicam, ne nomẽ quidem

audiſſe. Sidon. Apollin. inter laudes Simplicij electi in Epiſcopatum Bituricenſ. vxorem numerat. Vxor illi de Palladiorum ſtirpe deſcendit (verba ſunt concionis quæ exſtat lib. 7. Epiſt.) qui aut literarum aut altarium cathedras cum ſui ordinis laude tenuerunt. Sane quia perſona matronæ verecundam ſuccinctámque ſui exigit mentionem, conſtanter aſtruxerim reſpõdere illam fœminam ſacerdotiis vtriuſque familiæ, vel vbi educta creuit, vel vbi electa migrauit. Idem de Lupo etiam Epiſcopo, cum Nitiobriges, & Veſunnicos nominaſſet, vnus te, inquit, patrimonio populus, alter etiam matrimonio tenet, cumque hic origine, iſte coniugio, melius illud quod vterque iudicio: Habes Ignati, virorum illuſtrium, exempla quinque, quæ te poſſunt tuã tuíque Bellarmini ἀνιστερησίαν docere quanta ſit. Vide poſthac vt ſis modeſtior, & timidior in iis aſſerendis quæ tibi nõ ſunt cognita. Interea tuam nullam eſſe omnino reſponſionem ad locum Pauli vides, opinor, nunc tandem. Addideram Concil. Gangrenſ. can. 4. cuius tu me initium citare dicis, vt probes te locum non vidiſſe: citaui enim ea ipſa verba, quæ tu iam Latinè: ſed malui Græca, quia Latina ſunt peruerſiſſima: quid enim? tun' aliquando didiciſti τὸν γεγαμηκότα eum eſſe qui vxorem habuerit? Atqui ne longè abeamus; ab eo ipſo Concilio eadem vox vſurpatur proiis quibus vxores eſſent καὶ ἐν οἴκοις γεγαμηκότων εὐχὰς ποιεῖσθαι μὴ βουλόμενοι: quæ verba Latinè ſic rectè ſunt reddita, in domibus coniugatorum; quæ cur mutata ſint poſtea non facile quiſquam dicat, niſi forte ex erroris præiudicio: ſed tu dignus es, quem irrideamus, qui hac peruerſa Latini interpretis audacia deceptus (volens ſine dubio) dignos etiam

nos

nos putaueris qui decipiamur tua glossa, damnari eo can. illos qui putarent non licere sacra facere ei qui vxorem habuerit, etiam si ab illa se contineat. Imò agebat Synodus aduer. Eustathium, qui nuptias cũ condemnaret, & negaret coniugatos saluandos, efficiebat vt multi à matrimonio resilirent: non igitur eos respuebat, qui quum habuissent vxores ab iis abstinebãt, vt tu dicis, sed eos qui iis vti perseuerabãt: ac proinde vobis egregiè hic canon aduersatur. In Paphnutio & Concilio Nicæno tui semper es simillimus: quid tum? inquis, si assertum fuit, congressum cum vxore esse castitatem? proba primum sacrilegas sacerdotum nuptias, esse verũ ac legitimũ matrimonium. imò tu ipse potius, primum proba horrẽdam blasphemiam, qua nuptias appellas sacrilegas. Sed tu nimirum hanc historiam nunquam voluisti cognoscere. Agebat Paphn. de matrimonio sacerdotũ: aduersus eos qui à sacerdotibus vxores legitimas vellent separari: clamabat sanctus ille vir & cõfessor Paphn. non ferendam audaciam: *διαναστὰς ἐν μέσῳ τοῦ συλλόγου τῶν ἐπισκόπων ὁ Παφνούτιος ἐβόα μακρά, μὴ βαρὺν ζυγὸν ἐπιθεῖναι τοῖς ἱερωμένοις ἀνδράσι· τίμιον εἶναι καὶ τὴν κοίτην ἀμίαντον τὸν γάμον λέγων, μὴ τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἀκριβείας, μᾶλλον τὴν ἐκκλησίαν προσβλάψωσιν. οὐ γὰρ πάντας δύνασθαι φέρειν τῆς ἀπαθείας τὴν ἄσκησιν, οὐδὲ ἴσως φυλαχθήσεσθαι τὴν σωφροσύνην ἑκάστου γαμετῆς. σωφροσύνην δὲ ἐκάλει καὶ τῆς νομίμου γυναικὸς τὴν συνέλευσιν*: quæ verba totidẽ sunt Socrat. lib 1. c. 8. apud Christophorsonum: vndecimo autem in Græcis codicibus, quæ sola si legantur, glossema tuum abundè refutant: testantia Paphnutium agere de ipso Episcoporum congressu cum vxoribus. Vin tu igitur Ignati, hoc iudice contendere? Sed, siue velis, siue nolis, ille tamen pro nobis pronunciauit,

Epiſcopum eſſe caſtum,etiam tum quum congreditur cum vxore legitima.Deus bone,quò ille Coſterum abegiſſet! Ille,inquam, & Epiſcopus,& confeſſor,& cœlebs. Illud grauius eſt,nos multa confingere de iſto Paphnutio, quæ tamen nolueris retexere: nimirum verbis nunc noua religione parcens, an pudori potius tuo,noſtręque patientiæ? Certè quod eis à Bellarmino reſpõſum dicis,falſum eſt: nã Bellarminus nihil profert à nobis confictum, ſed miſerè ſuam prodit audaciam in ſecando nodo, quẽ ſoluere non poteſt: nam & falſi accuſat Socrat. & Sozom,atque hereticos appellat:. Egregiam verò laudem & ſpolia ampla! Præterea mentitur ſynod. Nicæn.3.can. clericis prohibuiſſe, ne vllam domi mulierem habcãt,præter matrem, ſororem & amitam: quum & in Græco textu συνείσακτος tantum nominetur, & in Latino,Extranea. I,nunc Ignati, & nobis Bellarm. oſtentato. Ad Neocæſarienſe Concil. reſpõdes,ex grauiori pœna nõ ſequi grauius eſſe delictum. Nempe non tantum nouam Theologiam Ieſuitas cudere oportuit,ſed etiã iuris nouas dictare formulas. At iure ciuili,inquis, in nonnullis regionibus maior eſt pœna latronum & homicidarum, quam blaſphemorum & hereticorum. Nempe, inquam, quia eæ regiones maius crimen latronum & homicidarum eſſe cenſuerunt: itaque non elaberis, nec tui Coſteri blaſphemiam excuſas.

Accedo ad impiam Euchariſtiæ mutilationem, vbi tu mihi rurſus occinis tuum illum Κοκκυσμὸν, Bellarminus, Bellarminus. Quid igitur ille? Non maiorem vtilitatem ſumi ſub vtraque ſpecie, quàm ſub vna. Imò, inquam, hoc falſum eſt, quia ex adulterato Sacramento nulla percipitur vtilitas:

eſt

eſt autem adulteratũ, quum vna ſpecies detrahitur: Audi Ambr.in 11.c. 1.ad Cor. Indignũ dicit eſſe Domino, qui aliter myſterium celebrat, quam ab eo traditum eſt: non enim poteſt deuotus eſſe qui aliter præſumit, quam datũ eſt ab autore. Rurſus quid ille? Non pugnare eam diminutionem, cum Chriſti mandato. Nam quomodo? quia Bibite ex eo omnes, dictum ſit ſolis Apoſtolis. Rectè ſanè, inquam, quia tum ſoli Apoſtoli aderant: ſed illis ſic dictum eſt, quomodo reliqua omnia, Accipite, edite: nempe ſic eis ſolis qui tũ aderãt, vt cederet in vsũ Chriſtianæ Eccleſiæ. Imò, inquis, quia Apoſtoli, nõ tãtũ erãt fideles, ſed etiã ſacerdotes, interpretari poſſumus, illis ita dictum fuiſſe & ſucceſſoribus, non propriè quatenus Chriſti fideles ſunt, ſed quatenus erant functuri munere ſacerdotali. Poſſumus, inquis. Ita ſanè poteſtis: quis enim tantam cohibeat audaciam? hominum dico: nam proculdubio ille cohibebit olim, qui eſt homines iudicaturus. Sed poteſtis ſanè, quia alia etiam ſceleratiora & magis ſacrilega audetis. At non debetis, quo enim argumento? Eodem, inquis, modo intelligere licet ipſis à Chriſto dictũ fuiſſe, Bibite ex eo omnes: quo dictum illis paulò ante fuerat, Hoc facite in meã commemorationẽ. Sane, inquam, Conſtat autem, inquis, hæc verba, Hoc facite, quadam ratione ad ipſos pertinuiſſe propriè, quatenus inſtituebantur ſacerdotes & Euchariſtiæ miniſtri. Ergo hac eadem ratione intelligi poteſt, ad eos dictum eſſe, Bibite ex eo omnes. Hem! vbi nunc Ariſtoteles. itá-ne Ignati? ex puris particularibus? Quidam ſenſus horum verborũ, Hoc facite, eſt ſenſus horum, Bibite omnes. At illorum quidã ſenſus eſt, vt dicta ſint ſacerdotibus. Ergo horum quidam

ſenſus eſt vt dicta ſint ſacerdotibus. Vbi, inquã, vbi Ariſtoteles, ô Turnoniã eruditionẽ! ô Ieſuiticam prudentiam! Et tamen non coniecturam, ſed demonſtrationem eſſe vult Ignatius: Quocirca, inquit, ratum id ſit, verba illa Bibite ex eo omnes, dicta tãtummodo fuiſſe Apoſtolis & ſucceſſoribus, quando ſacerdotum munere funguntur, & conſecrant Euchariſtiam. Ratum autem? Ratũ eſto ſane, vobis Ieſuitis, quib. nihil ſolet eſſe ratum, niſi quod mõſtroſum eſt: nobis verò ineptiſſimum ſophiſma cenſeatur potius. Quid enim? Chriſtus ne credendus eſt, ſuis factis contradicturus fuiſſe iis quæ diceret? Voluiſſe vt nunquam vlli biberent de calice, præter conſecrantes, dum conſecrant, & tamẽ calicẽ eundẽ tum quum id diceret diſtribuiſſe iis omnibus, qui non conſecrabant, ſed tantum adſtabant conſecranti? Quæ hæc malum! cæcitas eſt? Videmus Chriſtũ conſecrantem: conſecrantem Chriſtum audimus, clara voce pronunciantem, adſtantibus vt biberent, de eo calice quem ipſe conſecrauerat, ipſi non conſecrauerãt, denique videmus adſtãtes bibiſſe iuxta præceptum: & nos ita vacuos cerebro Ieſuitæ arbitrantur, vt nobis perſuaderi poſſe ſperent, horum verborum, Bibite omnes, hunc ſenſum eſſe, nemo bibat, niſi vnus ille qui conſecrarit? Exportentur, quæſo, hæc magiſtrorũ portenta in Indiam & Iaponiam, vt hinc ad eos quædam eant monſtra, quando illinc ad nos plurima. Et tamen iterum amandor ad Bellarminũ: credo, quia mihi pro ſua bile, Ignatius optet infortúniũ, non aliter quam bacchæ bacchantes, eos quibus ſunt iratæ tertio quoque verbo Diabolo deuouent. Audite tamen Bellarmin. Arbor vitæ, Agnus Paſchalis, panes propoſitionis, ſacrificia,

non bibebantur, sed edebantur tantum Ioan.6. sæpe vnam speciem Christus nominat ; & multiplicauit panes non potum: in Emaus solus panis nominatur: Ergo calix nō est laicis cōmunicandus: O argumenta diuina! ô demonstrationes! Sed cur inquam potius Sacerdoti sacrificanti? Subiicit praxim Ecclesiæ: quam Deus bone? hereticorum Manichæorum & Macedonianorū. Hæc illustria sunt specimina sapientiæ illius Iesuiticæ, qua totus orbis, si in heresim defecisset, subito atque vno momēto erat cōuertendus. Redeo ad me & meum Ignatium. Dixeram perpetuum ysum Ecclesię per multa secula eū fuisse, vt vtraque species offerretur omnibus. Ignatius respondet, non negare, sed vicissim multis modis compertū habere communionem quoque alterius speciei vsurpatam in antiqua Ecclesia fuisse. Quod etsi verū esset, tamen Papatū quid iuuaret, qui hoc nulli liberum facit vt communicet vtrique speciei, sed disertè interdicit, etiam sub anathemate? Et omnia mauult turbari, quam vel tantillum de sua tyrannide relaxare? Sed audiamus tamen quinam illi multi modi sint. Act.2.& 20. nominatur communio fractionis panis: at nos respondemus esse synecdochen: qua tòtum ex parte significatur, explicandam ex institutione potius quàm eius occasione institutionem corrumpendam. Addit Ignatius, varios & antiquos Ecclesiæ ritus. Quos autem? Asseruationē Sacramenti, quasi Exuperius & Gorgonia non legantur asseruasse etiam vinum. Communionem domesticam, quasi qui vinum asseruarent, nō etiā domi sumerent. Communionem infantium, quasi eos infantes apud Cypr. de laps. nōlegam' ita loquētes: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo

domini ad profana contagia sponte properauimus. Communionem ægrotorum: atqui ne Bellarm. quidem negat eis calicem porrectum: sed duntaxat vt plurimũ factam sub vna specie: nec tamen colligit præter vnum, aut alterum, aut certè tertium particulare exemplum. Superést-ne aliquid? Imò communio, laica. Egregiè: pergite verò, Iesuitæ, sic vos totius antiquitatis viros probare consultissimos. At vestrum saltem Pamelium legissetis in 52. ep. Cypr. asserentem hanc aliud esse nihil, quam inter laicos communicare extra cancellos. Eam autem vocibus aliquantulum infiexis Cypr. tum illa Epistola, tum 68. describit, Laicus communicet, hoc est, qui prius erat clericus de gradu suo depositus fiat laicus. Nouissima est communio præsanctificatorum. At eius nullũ est vestigiũ illustre in prima antiquitate. Nam Concil. Laodicenum falso Bellarm. nominat. Deinde, quo argumento docetur, præsanctificatorum nomine, solum panem intelligendũ? Nam τὰ ἡγιασμένα, panem & vinum intelligi, puto, ne Iesuitas quidem negaturos. Sed illud mirum est, ne sua quidem ritualia hos homines euoluere: nam in declaratione Liturgiæ ante consecratorum, quæ extat tom. 6. Bibliothecæ sacræ, diserta fit mentio calicis vini, aquę, sacri sanguinis: Et in ea Liturgia, cuius interpres est Genebrardus, hæc sunt verba precationis fidelium. Ecce enim immaculatum ipsius corpus, & viuificus sanguis hac nunc hora ingredientia, in hac mensa mystica proponenda sunt, quorum communionem innocuam nobis tribue. Et rursus, Sacerdos summisse sic orat, Dignare vt cuncti nos, citra condemnationem participes simus viuificorum omnium tuorum mysteriorum, Et paulò post, Dignare valida

tua

tua manu communicare nobis immaculatum corpus tuũ, & venerabilem ſanguinem,& per nos vniuerſo populo. Viden tu Ignati? quãquam fruſtra interrogem:quid enim videat is qui ſibi ſciens volens oculos claudit,fortaſſe etiam eruit,ne quicquam videat?ſed vidẽt tamẽ cordati omnes, Ignati, nihil te protuliſſe,quod eſſet vllius momẽti ad Eccleſiæ tuæ ſacrilegium defendendum. Quid obſtat ergo, quominus concludam,nec doctrinam apud tuos eſſe integram,nec Sacramenta legitima? Ac proinde apud eos nullam eſſe Eccleſiam?

Abſolui quæcunque ad meas theſes pertinẽt, quas ſic oppugnas, vt niſi in poſterum aliud præſtes, expugnaturus ſis nunquam: quod ſi tibi à me confirmatiora exſpectanda fuerant, nunc ego mihi fateor, verba deeſſe, quibus ſatis exprimam id officiũ tuũ, cuius ne particula quidem functus es. Si porrò ſic pergis,non facile diuinem quid futurus ſis. Fuiſti tu quidem in his audacior nõ paulo, quàm in prioribus, ſed idem non paulo etiam futilior. De eorum imprudentia, qui Ieſuitis pueros committunt inſtruendos, non faciam multa verba: nec tibi tot erant teſtes conquirendi. Ego contra teſtes habeo grauiſſimos,Pariſinum Parlamentum,à quo eſtis iudicati corruptores iuuẽtutis, atque etiam deteſtandæ doctrinæ magiſtri: habeo Sorboniſtas, qui perpetuum vobiſcum bellum gerunt. His addo Andegauẽſem illũ propræfectũ Ærodiũ,qui libello edito tã grauiter de vobis eſt conqueſtus, quod ab eo ſic filium vnicũ, quem veſtræ fidei commiſerat,auerteritis, vt ne Regia quidem autoritate interpoſita, obtinere potuerit,vt aut ſemel in conſpectum ſuum adduceretur,aut ſaltẽ ſciret vbi terrarum agat: atque

ita ſit ei neceſſe iã multos annos eo carere vnico ſilio, quẽ ſperabat ſenectutis fulcrũ futurũ. His autoribus quicquid reliqui dicant in veſtrã laudẽ: mihi facilè eſt contemnere. Nam quod aſſeris, nos pro viribus apud Regem procuraſſe exſilium veſtrum, tuam aduerſus nos iracũdiam teſtaris, rerum autem imperitiam magnam. Atqui exſilium veſtrum non eſt apud Regem procuratum, ſed in Parlamento decretum. Et nos ij ſumus, ſcilicet, qui in eo Parlamẽto multum aut gratia poſſumus, aut autoritate à quo animoſius proſcribimur, quam patientius audimur. Sed de eo exſilio vos videritis: nos enim ſiue abeatis, ſiue maneatis, noſtra parum referre putamus. Quid enim habetis, quo nobis plus reliquis Antichriſti mancipiis, moleſtiæ exhibeatis? Nihil ſane: nam etiam audacia, qua vna reliquos videbamini ſuperare, iam vobis præſtant Cappucini, qui veſtrum exſilium multo auro emerint: præſtant item diligentia in plebe dementanda: præſtant denique corporalibus illis exercitiis, in quibus ſolet ſe hypocriſis maximè venditare, cilicio, χαμευνίᾳ, γυμνοποδισμῷ & reliquis: adeo vt niſi vos eruditionis apud vulgum præoccupata tueretur opinio, periſſetis miſeri, id ab illis experti, quod reliqui à vobis paſſi ſunt. Nam apud veſtros ſolent monachi, itidem vt piſces, eſſe nequiſſimi, niſi recentiſſimi.

Superſunt ſcholaſticæ nugæ, in quibus ſi meo potius quam alieno gratificarer ingenio, liberum tibi garriendi campum permitterem. Sed quando ita opus eſt, hæc habe pauca. In prima quæſtione, negabã Deum moueri, quia eſſet infinitus. Reſpondes, nihil obſtare quominus infinitum moueatur in loco etſi

non

non ad locum, vt si aqua esset infinita. Imò inquam obstat, quia quod mouetur in loco, id necesse est habere partes,extra partes,quod in infinito ne cogitari quidem potest. In tua autē aqua, matæologiam agnosco, quæ supponat ea, quæ nec fieri, nec cogitari possunt. Secundò, interrogas, etsi motu locali infinitum moueri non possit, annon posset alia aliqua mutatione. Respond. nulla prorsus mutatione infinitum mutari posse, eo ipso quod sit infinitum: & rursus in aere matæologiā rideo. Tertiò, animam profers, quæ moueatur eò vbi iam est, vt quū manus admouetur capiti. Hîc verò miratus sum Philosophiam, quæ hominis animam etiam extra corpus imaginetur: nam manus mouetur, duntaxat ad superficiem capitis extra caput. Deinde saltem spatium id, per quod mouetur ad caput anima, est vacuum, cui simile in infinito nihil dari potest.

In secunda, negabam voluntatem Dei mutari: tu quęris qua id ratione fiat quum hodie Deus hoc velit, nolit aliud, cras alterum. Agnosco acumen quouis pistillo obtusius, quod quum dicerem voluntatem non mutari, non intellexit me negare, Deum hodie aliquid velle, cras nolle. Hoc igitur nunc saltem habe, Deum quæcunque vult, aut non vult, ab æterno velle, aut nolle.

In tertia, nescis quid mihi velim: explicabo igitur, quando tam es acutus, vt nisi conceptis verbis ago tecum, nescias quò locorum sis. Credo igitur accessione humanitatis mutatum esse Deum, mutatione relatiuâ, non autem absolutâ, ac proinde in ipsa Deitate nihil esse mutatum: quemadmodū quū homo fit pater, humanitas nihil mutatur in seipsa, sed tantum aliam assumit relationem: etsi enim lōgè

alio vinculo hereat Deitati humanitas, quàm Patri Filius; tamē exemplum eo aptum est, vt illustret naturam mutationis relatiuæ.

In quarta, quæris quid appellem attributum non suum: & pro tuo more respondes, id esse quod alicui rei natura sua non debetur. At ego etiam comprehendo ea attributa, quæ sunt contra ipsam rei naturam: & ea item quæ sunt alterius rei. Nam si filius haberet paternitatem, attributum haberet contrarium filij naturæ: & haberet attributum Patris, ac proinde mutuatum à Patre: neutro autem modo esset perfectus.

In quinta, quæris cur Pater non genuerit seipsum Deum, quum eundem numero Deum genuerit: Respondeo, quia non minus in diuinis distinctæ sunt personæ, quàm in humanis indiuidua, etsi non sint separatæ vt hæc: porrò autem non essentiam generari ab essentia, sed personam à persona.

In sexta, negas distinctionem personarum obstare, quo minus hæ sint contradictoriæ, Deus generat, Deus nō generat: quia vnicus & singularis sit Deus. At ego vicissim dico non effici eas esse contradictorias ex eo quod vnicus & singularis sit Deus, quia distinctæ sint personæ: quum ne in eodem quidem indiuiduo negantes & affirmantes idem, sint contradictoriæ, modò dentur varij respectus.

In postrema, negas me satisfecisse, quia etsi in textu Pauli intelligatur ὁρισθέντος pro ἀποφανθέντος, tamen certum est Christum fuisse prædestinatum. Atqui, inquam, satisfeceram: quia obieceras locum Pauli, quem negaui ad rem facere, te non contradicente. Nunc quando vrges importunius, non missura cutim nisi plena cruoris hirudo: respondeo ad rem

ipsam

ipsam, Christum prædestinatum esse Filium Dei, habita ratione humanæ naturæ, non diuinæ, quæ tamē subsistat in diuina, vt nō faciat per se vnū ὑφιστάμενον: quæ ratio est cur prædestinatio tribuatur toti personæ, quæ est Filius Dei, sed tantum secundum alteram naturam, quod latius Thom. explicat in commentariis in eum locum.

Absolui tandem pensum, & ostendi quam nullus sis in meis thesibus confutandis, & quam frustra subtilis in scholastis tricis. Quod obsecrabas, vt ne dissimularem, quæ Bellarm. scripsit aduersus nos, nō impetrasti: primū, quia pudet ineptiarum Bellarm. quas tibi nunquam ausim tribuere: secundò, quia mihi vellem tecum esse negotium: nam quæ in Bellarm. desidero. separato opere colligo, intra paucos menses, vt spero, specimem editurus in quæstione de œcumenico Pontifice. Tertiò quia iniquum est te id à me postulare, cui ipse te non subiicias, nam quum quæcunque mihi opposita voluisti, ea descripseris, vt plurimum à Bellarmino, tamen egregiè dissimulasti quæcunque à nostris iam pridem respōsa sunt: memento nobis Christianis solenne illud esse, Quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris. Quam te candidè gesseris, ipsæ testantur literæ tuæ, & ego suis locis obseruaui, vt non sit necesse repetere. Age iam tandem, quid concludimus? Hoc nēpe, cogitandum tibi serio esse de tua salute, quum sis extra Ecclesiam: itaque hanc tibi esse quærendā ex veris & perpetuis notis, vt agnitam amplectare, eius te in gremium conferas, eius lac sugas, & valedicas impudicæ illi meretrici, quæ sedet super montibus septem, ac scortationis suæ veneno totum infecit orbem terrarū. Hoc ego te per Deum

obtestor, Ignati, interea saluere iubeo. Ex Acusiorũ Colonia, & musęo nostro. A. D. VII. Kal. Quint. Anno à Christo M. D. XCIX.

CHAMIERVS.

IACOBO GAVTIERO IESVITAE TVRNONENSI, DANIEL CHAMIERVS.

ACCEDO ad te, post Cotonum & Ignatium disputaturus de Religionis negotio, Gautiere. Quæris caussas? En tibi. Quia & multa sunt in religione controuersa capita, quorum singula tantùm inter me & illos agitantur: Et in iis ipsis prorsus illi non satisfaciunt: Nam quum illis esset vel viris doctis solidè disputãdum, atque argumentis necessariis ostendendum apud se esse sanam doctrinam: vel viris bonis & religiosis, cedendum meis rationibus, agnoscendúsque error cui iampridem sunt innutriti: illi tamen neutrum faciunt. Cotonus magna quidem pompa scriptionem inchoauit, & aliquandiu continuauit: sed ita vt se cordatis viris proderet prorsus imperitum artis eius, quæ disputando docet verum inquirere: etsi non inexercitatum in Rhetoricis fucis: à quibus tamen, quum se deseri videret, tandem erupit in tragicos clamores, & insanos furores. Ignatius, quod ex scholastico suo puluere didicit, contractius agit ille quidem: à re ipsa minus discedens quàm Cotonus, infrenis equi in morem toto campo petulanter exsultans. Sed

Deus bone! quæ argumenta colligit? quam inania! quàm sophistica! Vix credidissem Rectorem Turnonensem, cui si non soli, saltem omnium maximè, vestræ Academiæ decus fulciendum esset, adeo fore ridiculum: nisi quia ita necesse est mendacium defendi, quũ non possit aliter. Habebit ille nũc meam ad posteriores suas responsionem: quam si miretur meo more serius missam, seipsum accuset: qui quum eas quibus respondeo, curasset reddẽdas exacto tantum secundo mense post diem adscriptam, intereáque multiplicandas, in varia exemplaria, effecit vt ipse viam quærerem huius iniuriæ vlciscendæ. Itaque publicaui: vnde prælo seruiendum fuit, atque in hoc tempus exspectandum. Si continuisset se sollicitus, vt mihi soli ea redderentur quæ scribebat, tùm ego etiam non commisissem, vt in manus multorum mea peruenirent. Hæc igitur illi, nisi molestum est, tu à me significato. Sed accipe ipse tres de Idololatria theses: non tamen de toto negotio in genere, sed ea tantum parte, quam Cotonus nescio qua caussa neglexit. Quum enim primum non tantum egissem apud eum de adoratione sanctorum, sed etiam imaginum, ille sanctos solos tutatus est, imagines deseruit. Ergo hanc partem ab eo neglectam, tibi putaui communicandam, obtestatus per Dei sanctissimum nomen, vt agas candidè, modestè, solidè. Laborem spero quidem non recusaturum, qui huc vsque ad nostros vicinos excurras: sed quorsum ille labor, si ludificentur Rhetoricæ præstigiæ, vt in Cotono: si insolenter se gerat proteruia, vt in Ignatio: si denique absit disputationis soliditas, vt in vtroque? Itaque

tu mihi, quod in vtroque boni est assumito. Laudaui in Cotono modestiâm, in Ignatio attentionẽ, ad cã rẽ, de qua agitur: has tu vtrasque partes exprimito, Gautiere, & inter Iesuitas tu saltem vnus sis quicũ disputare non pigeat. memento negotium agi, non laudis, quàm in vestri collegij classibus, soletis discipulis proponere, vt contendant de doctrina vtra maior sit, quod ridiculè affectauit Ignatius in scholasticis tricis: sed salutis, quam vobis miserè deceptis eripiunt errores papistici. Ego Deum testor, illum cui profunda pectoris sunt cognita, mihi nullum esse alium scopum propositum, quam vt, quantuluscunque sim, aliis ostendam quàm puerilibus nugis, Hardingi, Hayi, Bellarmini, Costeri reliquíque imperitos ludificentur. Ne credito enim quod subinde mihi tuus Ignatius exprobrat, ad has me disputationes accessisse, non euolutis tuorum libris, quos non paucos mihi comparaui in eum finem, vt verè testari possim mihi nõ amplius vt in pueritia, fidem niti sola docentium auctoritate. Et sane id meis indulsit laboribus, ille qui testatus est se pulsanti aperturum, vt meis ipse oculis, tuorum sophisticen deprehenderem, quam prius ex aliorum sermonibus habebam suspectam. Hæ sunt autem theses, quas tuo arbitrio examinandas propono.

I. *Nullo certo argumento aut Grãmatico aut Theologico, Idolum distinguitur ab imagine in quæstione de Idololatria apud Catholicos.*

II. *In religionis negotio omnino non est sanum, asserere, eodem cultu colendas esse imaginines cum prototypis.*

III. *Apud Papistas, cũ multi sũt sancti fictitij, suppositæq; infini-*

infinitæ sanctorum reliquiæ: tum aut nullæ, aut paucissimæ imagines, non elaboratæ ad arbitrium: hoc est, referant rem ipsam cuius dicuntur imagines, qualis erat in rerum natura & non pictoris ideam, quæ nunquam habuit substantiam: vt verum sit Papistas esse idololatras etiam quatenus idolum spectrum significat.

Hæc ego prorsus certa esse assero: tu si potes argue mendacij, & viceris. Vale Gautiere: det tibi Deus, vt quas habes animi dotes, eæ tibi seruiant ad eiurandam idololatriam. Ex Acusiorum colonia: Cal. Oct. CIϽ IϽ XCIX.

CHAMIERVS.

DANIELI CHAMIERO MONTILIENSI MINISTRO

IACOBVS GAVTIERVS SOCIET. IESV. S. ET MELIOrem mentem.

QVAS ad me tu, Chamiere, Cal. Sept. dedisti, accepi ego VII. Id. Oct. harum tumorem extra omnes modestiæ (cuius te tamen studiosum profiteris) cancellos insolescentem, vt in Caluini ministro non miror, ita silentio potiùs quàm responsione comprimendum duco. Quod ad theses prouocationémque tuam spectat; voluntati equidem tuæ lubenter facerem satis, & ex sacra Scriptura, perpetuóque vniuersæ Ecclesiæ sensu apertè ostenderem, ignorare te, non modo quid imago sit, quid idolum: verùm etiam cætera, de qui-

bus cũ PP. nn. Ignatio & Cotono disceptasti Christianæ religionis mysteria (sicut & non semel, tum verbo tum scripto, & priuatim & publicè tui similes, imò & ipsa tuæ sectæ capita, Lutherum & Caluinum ignorare ostendi) si vel Cotono cui theses tuas primo proposuisti, non abundè arma suppeterent ad te tuósque omnes Iconoclastas debellandos, vel de cæcitate tua sananda spes posset aliqua concipi. Iam verò, quum videam illorum (quibus vt pote magistris meis, nequaquam sum ipse conferendus) scriptis impœnitens cor tuum nihil emollitum, nedum sanatum, quod vt aranei ex floribus quibusque odore suauissimis venenum faciunt, ita tibi tu ex pharmacis apprimè salutaribus toxicum propinare soleas, hoc est, ex doctrina eorum haud minus dilucida, quàm solida, nouas tuæ mentis induratæ oculis tenebras accumules, cur ego tempus & operam in lauando Æthiope perdam? Cur ansam tuo cordi lapideo præbeam maioris damnationis in exterioribus, ad quas te internæ rapiunt, tenebris, vbi fletus & stridor dentium subeundæ? Habere te inquis nostrorum libros: lege: & si intelligere eos potes, perpende quibus argumentis tuas illi iamdudum theses euerterint: quibus telis te, tuósque omnes Iconomachos cõfoderint: quid ad singulas tuorum tum commilitonum, tum ducum obiectiones iam vel ab ipsis pueris tritas responderint. Vbi hoc animo sincero, & qualem ipse in me optas, candido præstiteris, si qua tibi noua suboriatur aduersus Catholicorum Doctorum, vel argumenta, vel responsa, dubitatio, æquo sanè animo ac candido laboris tantum duce Deo suscipiam, quantum satis erit sanandæ, si tamen sanari vis, menti tuæ. Quod tibi

tibi, Chamiere, largiatur, qui facit lucem in tenebris splendescere, poténsque est de lapidibus filios Abrahæ suscitare. Vale.

EIDEM DANIELI CHAMIERO IACOBVS GAVTIERVS S.

LITERIS tuis eo ipso, quo redditæ sunt die, responderam. Verùm exspectanti mihi cui darem, oblata est tua Iesuiticarum, vt inscribis, Epistolarum pars altera: quam vbi primùm legi, tuis ipsis verbis satis supérque confutatam censui: vt & antè censuerat Ignatius: nempe apertas passim spiritus vertigines, de quo Isa. 19. notas præ se ferentem. Quid enim verbo magis commendas, quam modestiam? At reipsa contumeliæ sunt haud multò pauciores, quam lineæ. Quibus non est quod mirer Ignatium à te in libello tuo impetitum, cum Cotono extrà certaminis aream, hoc est, in tua ad me epistola, & insani furoris notam, & infrænis equi (tua ipsa verba sunt) petulantiam attribuas: tametsi paucis verbis interiectis, tui vt hæreticorum mos est, oblitus, Cotoni modestiam laudes, & mihi proferas imitandam. Quid magis detestari te profiteris quam calumnias? At sine calumnia vix vllam refers Catholicorum sententiam. Apud quem ex nostris, quæso, legisti, quod nobis acceptum refers, fornicarium manifestum Episcopum esse tolerandum? Vbi Costerus dixit, quod illum pronunciantem introducis, sceleratius esse matrimonium

ſcortatione? Nomina vel vnum Eccleſiæ Romanæ Doctorem, qui fornicarios ſacerdotes caſtos nominarit: quod tamen pro tuo candore & veritatis zelo diſertè ais factum. Dices fortaſſe non legiſſe quidem te, ſed ex Coſteri, Ignatiique ſcriptis collegiſſe. Egregius profectò, ſi ita ratiocinaris, Dialecticus es, Chamiere, ei planè ſimilis, qui ex eo quod alter quis dixiſſet aureorum mille furtum deterius eſſe furto centum aureorum, colligeret licitum eſſe centum aureorum furtum. Eadem certè Dialectica nititur tua iſta concluſio; cum id vnum dicant Coſterus & Ignatius ſacrilegum, quem Sacerdotes quidam (hi ferè ſunt, quibus iugum Chriſti ſuaue non eſt, nec onus eius leue, vt pote inimicis crucis Chriſti, nullúmque alium Deum, quàm ventrem colentibus, quos apoſtatare faciunt mulieres, & à nobis ad vos non raro deficere) matrimonij nomine quaſi pallio tegunt, concubinatum eſſe deteriorē aperto concubinatu, aut fornicatione. Tuū igitur eſt eligere, malis-ne te in rebus logicis peregrinū agnoſcere, quā calumniatoris nomen ſuſtinere. Quid verò crebriùs venditas, atque adeò affectas quàm ſolidam doctrinam & Chriſtianam Theologiam? At nihil minus ſolidum tuis ſcriptis: niſi doctrinam ſolidam tecum putemus eſſe poſitam in puerilibus dicteriis, & nonnullarum vocum Græcularum, non tam floſculis quàm faſciculis, qui Grammaticulum vtcūque, Theologum aut Philoſophum nulla ex parte ſapiunt. Nunquam enim Theologus dixerit, Eccleſiam non eſſe numero vnam, ſed eſſe ſpeciem in plura indiuidua diuiſam: quod tamē ſuadet Chamierus. Fatentur quidem Orthodoxi omnes Theologi Eccleſiam Satanę, id eſt, hæreticorum

Synagogam non esse numero vnam, sed in varias sectas dissectam, tótque esse hęreticorum Ecclesias, quot sunt non modò hæresiarchæ, sed fermè quot & hæretici. Veram autem Ecclesiam esse non cogitatione tantùm instar speciei vniuersalis, sed re ipsa vnam, & in partes quidem integrantes instar totius quanti, non tamen in plura indiuidua distributam. Est quippe vera Ecclesia, columba illa vna de qua in Canticis, & virgo casta vni viro Christo apud Apostolum desponsa. Sed hac de re mox plura. Nūquam, saltem post sublatam ab Ecclesia veterem Cypriani dubitationē, dixerit Theologus, quod tu affirmas, nō esse legitima apud Schismaticos Sacramēta. Qua in re te miror, Chamiere, ne Bezæ quidem tui autoritate permotum, calamo temperare potuisse, cū in altera parte quæstionū & respōsionum q. 132. apertis verbis asseueret esse inter nos quos dicit Schismaticos, Christianū Baptismū. Miror magis vel te, si ipse primus ex familia tua à nobis defecisti, vel certè parētes tuos (neque enim altiores tuæ sectæ radices inuestigari queūt) nō iādudū ād Anabaptistas cōuolasse. Quid porrò crebrius à te iactatur, quàm Dialecticæ peritia? In Dialecticis tamen præceptis tuam patefacit ruditatem, tum vniuersus tuus disputandi modus, tum illud inter alia multa speciatim, quod nullum agnoscis medium in argumentatione Ignatij, quum probat fœdius esse flagitium Sacerdotis Apostatæ cōcubinatum fucati matrimonij nomine tectum, quam simplicem concubinatum aut fornicationem, ex eo quod deterius sit solenne castitatis votum; quo matrimonij incapaces efficimur, simúlque castitatem violare, quam castitatem solam, hoc est nullo voto promissam Deo & consecratam.

Qua eadem cæcitate cogeris inficiari consequutionem eius ratiocinationis, qua concluderem grauius peccare, qui se rem alienam Domino redditurũ iurasset, nec tamẽ redderet, quam eum qui nullo promisso iuramento detineret, ex eo quod scelus maius sit iuramentum simul ac iustitiam violare, quam solam iustitiam. Neque melior es Logicus, quum Ecclesiam probas nõ esse numero vnã, sed esse speciem vniuersalem, eo quod sit Catholica. Equidem si adesses efficerem, vt vel quindecim annorum puer demonstraret te nõ satis intelligere quid species, quid indiuiduum, quid totum vniuersale, quid totum integrum, Annon vides simili me ratiocinatione euicturum S. Paulum fuisse speciem, ac totum vniuersale, quod fuerit Catholicus? Quod autem vrges τὰ καθ᾿ ὅλου esse vniuersalia, tuam apertius prodit inscitiam. Etsi enim Grammatica intercedit affinitas inter Ecclesiæ Catholicæ nomen, & τὰ καθ᾿ ὅλου: alio tamen sensu Theologi Ecclesiam vocant Catholicam: sicut mundus, quanquam à Græcis passim appellatur τὸ ὅλον, τὸ πᾶν, à Latinis, vniuersum, Vniuersitas: à nullo tamen Philosopho, aut Theologo, nisi fortè Geneuensi, censetur esse species: siquidem cum Aristotele 1. de cœlo, affirmant omnes, mundum esse vnum numero, quod mundi amplitudo, & (vt sic dicam) totalitas, non sit potestate duntaxat, vt vniuersum, sed actu, (vt aiunt) Physico: non ratione tantùm (vt paulo antè dixi) sed re ipsa. Quis verò nisi mente linguâque vitiata dixerit Ecclesiam non esse verè ac reipsa vnam, sed tantum ratione & mentis conceptione? Vide igitur Chamiere, si naturæ saltem habes oculos, quo te tua duxerit tantopere ostentata Dialectica: & si non potes Ignatij, Cotoniqúe verbis resipiscere,

piſcere, tuo ſaltem damno addiſce quātæ ſit imprudentiæ, ne quid grauius dicam, Theologos prouocaſſe, cùm ne doctrinarum quidem naturalium ianuam Dialecticam calleas. Quo fit, vt mihi admirationem concitet nullam, quod ſcribis ignoraſſe te ante lectas Ignatij literas, quid Latinis ſit, ſitum eſſe in indiuiſibili: qua tamen loquendi formula nihil in ſcholis Phyſicis ac metaphyſicis notius: nihil in diſciplina Peripatetica ſæpius repetitum. Neque enim fieri poteſt vt ad interna Philoſophiæ domicilia penetret, qui ab ipſa ianua aberrārit. Hæc, Chamiere chariſſime, è multis pauca ſelegi tuæ modeſtiæ, conſcientiæ, Theologiæ, ac Dialecticæ exempla, quæ tuis ipſis oculis proponerem, non vt tuo reſponderē, quem iam initio dixi ſatis per ſe confutatū (cuique ſi quid haberet, quod reſponſum exigeret, nullo negotio reſponderet Ignatius) neque vt te ad iterādas tuas, partim nugas, partim blaſphemias, prouocem: ſed vt in tuis verbis, quaſi in ſpeculo (quādoquidem ex abundantia cordis os loquitur) conſideres non vultum natiuitatis tuæ (neque enim ſecundū faciem iudicandum eſt, licet quēdam audiam ex vobis eſſe, qui ſuæ argumentū prædeſtinationis capiat ex bono corporis habitu) verū qualis Chriſtianus ſis, qualis Theologus, qualis Dialecticus, qualis homo. Hoc ſi feceris corde non lapideo, ſed carneo, mihi dubium non eſt, quin perſpecta morbi tui fœditate, exploratóque grauiſſimo ſalutis tuæ diſcrimine, eius tādem medici qui ſtat ad oſtiū & pulſat, vocē audias, ipſiq; ianuā aperias; & eo demùm intrāte, cùm ſit reſurrectio & vita, penitus conualeſcas. Iterū vale, mi Chamiere; & paucula hæc quæ vix ipſe à me vt ſcriberem

impetraui, boni consule. Turnone VI. Id. Nou. 1599.

Tuus in Christo seruus

IACOBVS GAVTIERVS.

IACOBO GAVTIERO IGNATIANO DANIEL CHAMIERVS CATHOLICUS optat ab idolorum seruitute liberationem.

QVOD meas serius acceperis, Gautiere, negligentia fecit eius, cui erant traditæ. Quod eis non sit modestè responsum, id Ignatiano spiritui imputo, quem ne ipsa quidem immutet modestia si velit: adeo vel ex natura, vel ex consuetudine, quæ in naturam abiit, propriam dotem nactus est proteruitatem, ἔντι γὰ πικρὸς, καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Quòd verò meis thesibus, nihil prorsus sit oppositum, mirarer, nisi mihi iampridem esset cognitum non posse veritatem oppugnari, mendacium propugnari. Hoc autem denique si non miror vt in Iesuita, certè doleo vt in homine, nullo te sensu affici violatæ conscientiæ, in rebus tanti momenti, cuius modi illæ sunt omnes quæ religionem spectant, vnde pendet animæ salus. Quid enim agis Gautiere? aut cur non abscedis ab illo omnium errorum crassissimo errore, quem vt defendas nulla suppetunt argumēta? Idololatriam dico, qua nullū inuexit vnquam Diabolus venenū nocētius in orbē: nec vllā vnquā tetriorem ea quæ apud vos viget nominibus tātum distante ab Ethnica, paulùmque deflectente ad Christianismum, sed reapse Ioues exhibente, & Mercurios, & Mineruas, & Martes, & Perseos, & Athlantes, & Veneres, & Neptunos, & Thetidas, & Æsculapios, & Vulcanós, & reliqua omnia

omnia Gentium numina: Minoas etiam & Rhadamanthos: quorum magnam copiam indicaturum profiteor, si quod tamen futurum non puto, pergat Cotonus disputando. Sed hoc de conscientia quicquid est, tu videris: cuius in te sopitæ sensum vt excitarem, agi volebam inter me, atque te negotium imaginum, quod erat à Cotono tuo desertum. At tu astutè laborem detrectas, fugitans trepidus, simulata tamen audacia, dum ais, aliàs & verbo & scriptis ostendisse à nobis, à nostris etiam principibus ignorari quid sit idolum, quid imago. Quod ego quidem sic credo, quomodo illi fides adhibebatur olim, qui se iactabat Rhodi saltum ingentem, quantum nullus antea, perfecisse.

Eia, Gautiere, si vir es, αὐτόθι μοι ποίησαι. Hic enim Rhodus, hic saltus. Et quorsum ea te narrando iactes quæ sine teste sunt gesta: hic vbi opus est, hic, inquam, vbi opus est, etiam prouocatus nihil audeas? Et potes sperare sanus, hoc artificio celatum iri tuam causæ diffidentiam? Non ita viuitur hodie, quum inuentis frugibus glande vesci desitum est: Cotono arma abundare dicis, & nullam esse spem meæ sanandæ cæcitatis: hásque fuisse tibi detrectatæ disputationis caussas. Atqui vtraque falsa: vtraque nulla caussa est. Cotonus, quum à me sollicitatus, inchoasset satis perfunctoriè disputationem de idololatriæ vtroque capite, cultu, inquam, tum sanctorum, tum imaginum: deinceps tamen de Sanctis perrexit ille quidem scribere; sed de imaginibus magis fuit mutus quàm piscis. Quo ipso satis abundè sibi ostendit nulla esse argumenta: quis enim credat Iesuitam tanto fastu seipsum ostentantem, Iesuitam tanti nominis, fuisse taciturum non coa-

ctum caussæ peruersitate? Meæ verò deploratæ salutis, ecquænam aut vndénam colligis indicia? *Quia*, inquis, *Cotoni & Ignatij scriptis impœnitens cor tuum non sit emollitum.* Optimè sanè. Nam ea scripta diuina sunt, scilicet, θεόπνευστα, αὐθέπιστα. Imò verò illi eiusmodi viri, vt quotiescunque vel hiauerint, vel ructauerint, nobis cernuis sola supersit adoratio, vt pecorum in morem huc illuc agamur, quòcumque nos illi volent circunducere: alioqui igne æterno, vel etiam, quod malint, temporali miserè vstulandos. Et huc, videlicet illa tendunt ab iis iactata: eum qui nō audit Ecclesiam, habendum pro publicano: hæreticum post vnam aut alteram admonitionem vitandum. Euge: Euge: hæc scilicet est compendiaria ad veritatem tutandam via. Enimuerò quis in vno Cotono totam nobis conclusit Ecclesiam, vt quia huic obtemperare nolim, confestim publicanus iudicer? Quis me Ignatio accusante hæreticum legitimo iudicio condemnauit, vt sim iam ab omnibus vitandus? Ad hæc, vt concedam, quod prius se enecent miselli, quàm probent, esse me & publicanum & hæreticum: ex quo tamen cerebro id hausistis, Sophistæ, non esse cum eo disputandum pro veritate, qui sit habendus pro publicano? Non esse aduersus eum tutandam sanam doctrinam qui sit vitandus tanquam hæreticus? Nimirum ita decuit nouos Theologos, mendacij patrocinium suo quodam iure præ aliis affectantes, nouo etiam modo disputare tacendo. Quod vtinam illis sit constans, perpetuúmque consilium: vt ne deinceps obstrepant garruli Catholicæ veritati. Hoc volui, Cotone, hoc profectò volui, vt taceres: hoc volui, Ignati, vt obmutesceres: hoc volui, Gautiere, vt ne

hisceres

hiſceres quidem. O ſi ex veſtro pudendo ſilentio ij reſipiſcant, qui veſtra importuna garrulitate ſunt dementati! Audite vos, quotquot eſtis, in his Regionibus, Rebulli, Nicolai, Vignolij, apoſtaſia nobiles: audite, inquam, quod veſtra intereſt vel maximè. Veſtri illi Cotoni, Ignatij, Gautieri, qui apud vos iam veſtra leuitate fluctuantes incertóſque magnificos ſe oratores exhibebant, inuictos Dialecticos, Theologos admirabiles: nunc quando negotium eſt cum viris conſtantioribus, quibus ſua fides eſt explorata, abdunt ſe in angulos: pauidi incerti, tremebundi latitant. Cotonus ſemel, bis-ve ſcripſit: obfirmauit etiam ſeipſum tertiò. Deinceps verò magnus ille Cotonus, Ieſuitico cœlo his regionibus fulciendo, Athlas deſtinatus ceſſit ponderi: diſputationem inquam deſeruit: nunc multos menſes mutus, niſi quomodo poſt ictum canes procul latrant. Ignatius rector Turnonenſis Academiæ, collegij columen, poſtquam veritatem ſenſit ſecundum impetum fortiter excepiſſe non violato clypeo, plagas etiam cruentas inferentem, non putauit, vlterius experiendum: itaque collegit ſarcinas, ac ſubduxit ſe. Hoc verò vtroque in ſua trepidatione cautior ex alieno pudore Gautierus, non potuit vel nudam prouocationem ſuſtinere: conſultiúſque duxit omnino à certamine abſtinere. Iam igitur vos obteſtor, ô Rebulli, Nicolai, Vignolij, ſi quid in vobis poſt tantam ruinam ſupereſt bonæ ſpei, hoc eſt, ſanæ mentis, vt iam tandem cognoſcatis, quam de vobis illi reportarunt victoriam, non illorum viribus tribuendam, quaſi eſſent inuictæ, ſed veſtræ potius imputandam

inertiæ. Corruistis miseri, non ab Achille domati Hectores, non ab Ænæa superati Turni: sed ab Vlysse alioqui non bellicoso, Iri fœdè solo pugno contusi. Sanè ita est. Nullis viribus fuistis: etsi Thrasonicam eruditionis personam ostentantes, Iro simillimi οὐδέ οἱ ἦν ἲς οὐδὲ βίη. εἶδος δὲ μάλα μέγας ἦν ὁράασθαι: Vt merito dicam vestram τῆς ἀληθείας ἄρνησιν, eius nomine adumbratam Ἀρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε.

Sed redeo ad tuas, Gautiere, literas, quibus post interminatas illas tenebras, in quibus erit fletus & & stridor dentium, satis præcipiti, hoc est Iesuitico iudicio, non recordatus iis Deum benedicere, quibus impij maledicunt, hortaris vt quos mihi tuorũ libros comparaui, legam: quasi eò tantum me audisses comparasse, vt latrinis deseruirent, quod quidem fortasse merebantur. Sed noli te fatigare, vir bone, nobis frustra monendis, id est actum agendo: quia eos nos legimus libros, & legimus sedulo: legimus attentè: sed &, quod omnium minimè velletis, legimus cum iudicio, quod vos in nostris non præstatis, vix de nomine vobis cognitis, adeo estis inertes. At vestros postquam legi diligentissimè, vidi nullis telis me meósque Iconomachos confossos: sed vidi te tuósque Idololatras portentosis sophismastis miserè delusos, eóque abductos à veritate Christiana, ad Ethnicam impietatem, illum deserentes, qui Deus est super omnia benedictus, vt accurreretis ad creaturas: neque ad creaturas tantum, sed etiã ad figmenta vestri inanissimi cerebri, quæ nunquam exstiterũt, atque ad earum creaturarum, corúmque figmentorum imagines, hoc est idola, vt ab eis opem poscatis in aduersis, poscatis etiam animæ salutem. Hoc vidi, Gautiere: hoc ego in-

quam,

quam, vidi hisce meis oculis: & quum vidissem volebam te participem facere meæ lucis: sed tibi tenebræ papisticæ oculos eruerũt. Quod autem petis, vt tibi significem, si quæ mihi dubitatio suboriatur aduersus tuorum argumenta: te enim laborem subiturum mei sanandi: non faciam, Gautiere: non enim sollicitaui te, vt doceres me quæ nescirem, sed vt tu potius disceres à me, quam ignoras, veritatem Catholicam. Tum, cur tu mihi id imperes, qui nolueris tua aduersus meas theses argumenta examinanda proponere? Denique quam tibi significem dubitatio nulla est. Testor enim Deum me tam certè scire omnia tuorum argumenta, quibus suam idololatriam tuentur pertinaces esse falsissima, quam Deum ipsum esse in cœlis creatorem visibilium & inuisibilium: profiteórque me paratũ esse iis cõfutandis: quod iã sensit Cotonus: & tu sentires, nisi disputationis aleam subire noluisses.

Sed quis tu homo es, quæso, qui tuis prorsus neglectis aliena cures negotia? Proponebam tibi examinandas theses de idololatria: has tu prorsus negligis. Refutabam Ignatij ad me scriptas literas: hanc tu refutationem vellicas. Ita-ne apud Iesuitas viuitur? Quin tu potius pro te agis tuum negotium: Ignatio suum relinquis? Et tamen in hoc ipso nihil præstas: nec tam meam modestiam, Dialecticam, Theologiam traducis, quam ingenij tui prodis imbecillitatem. Contumelias meas, quas haud pauciores asseris quam lineas, nullas tamen numeras: nisi quod de Cotono asperius paulo sum loquutus, insanum furorem ei tribuens, & infrænis equi petulantiam: in quo tamen nulla est contumelia, sed iusta quærimonia. Si quidem ita se Cotonus gessit, vt etiã

extra certaminis arenam ἐκ παρατάξεως captata affectatáque occasione, in me furiosis literis debaccharetur, nihil curans quid scriberet, dummodo atra bilis venenum vomeret, quod præ Iesuitica impatientia concoquere non poterat. Et quis hunc ab insania vacuum defendet, qui nullo verbo violatus, quin potius amicè atque honorificè compellatus, subito ita excanduerit, vt in nos hæc impotentis linguæ conuitia profuderit vno spiritu, Organa impietatis, instrumenta animata dolo atque ignorantia, interpretes mendacij, nuncios perditionis, legatos iræ, paranymphos Satanæ, prodromos Antichristi, buccinatores Baalberib, tubicines Beelzebub, fæciales infernorum? Huic, Gautierc, huic tu viro indignabere me insanum furorem obiecisse? Infrænis autem equi petulantia, non Catoni mores notabat, sed stilum, qui nullis se disputationis carceribus contineret, vt Dialecticum decuit, sed liberè spatiaretur cùm intra, tum extra quæstionem, quæ Rhetorum partes esse solent multo puluere nubem excitantium quæ oculos hebetet. Quod autem eius modestiam laudauerim, non est quod clames mei me oblitum. Nam is certè quandiu disputationem continuauit, satis se præbuit modestum: tum vero duntaxat exarsit in iras, quum voluit tacere. Hanc ego in disputatione modestiam laudabā tibíque imitandam proponebā. Sed Iesuitæ nihil vident, nihil distinguunt ne calumniari non possint. Iam ita est vt dicis, vix quicquam magis me detestari quā calumnias quæ etiam caussa fuit, vt meo more seuerius agerem cum Ignatio horrendas blasphemias nescio vnde colligens, quas nobis imputaret. Sed falsum, vix vllam à me referri vestrorum sententiam

absque

absque calumnia. Nam quod quæris, apud quem legerim fornicarium manifestum Episcopum esse tolerandum: respondeo, primum hæc te in meis literis verba non legisse, qui tantum dixerim, fornicariũ Episcopum apud vos ne verbo quidem violari: quæ verba, non quid vos iuris esse contendatis, sed tantum quid soleatis facere significãt: in infinitis enim vestrorum Sacerdotum myriadibus, infinitos esse scortorum agitatores, quis nescit? At quis audiuit tamen vnicum aliquãdo ob id scelus esse remotũ ab altari? Sed instabo magis, vt his coniecturis nõ sim cõtẽtus: atque idipsum quod me negaui dicere, quod me tamen dicere affirmasti, quodque apud tuos inueniri negasti, idipsum, inquam, ostendã apud tuos inueniri totidem ferè verbis. In decretorum parte prima d.82. Ca. presbyter, Glossatoris hæc sunt verba. Vnde dicũt hodie pro fornicatione neminẽ deponendum, nisi in ea perduret. Et rursus caussa 2.q. 7.C. lator, quum corporale crimẽ propter quod in textu sacerdos affirmatur deponendus, dixisset intelligendum adulterium vel incestum, tum addit, Secus si de simplici fornicatione, pro qua hodie nõ deponitur. Abi iam Gautiere, & me calumniatorem vocitato. Quod à Costero dixerim asseri sceleratius esse matrimonium scortatione, non mea vlla est calumnia, sed tuum sophisticum syllabarũ aucupium: nõ enim quodlibet matrimonium intelligebam, sed Sacerdotum, quod ex tota disputationis serie facile erat animaduertere, nisi ira obstaret. Fornicarios Sacerdotes à vobis castos appellari, aut certè cẽseri, hoc argumẽto cõstare posse cẽseo: quia cũ Sacerdotes omnes esse debere castos asseratis, ideoq; cõiugatos nõ toleretis, toleretis tamẽ fornicarios, quis nõ

rideat necesse esse vt fornicarios inter castos numeretis? Hæc enim mea est Dialectica, non qualē fingis, eius stolidi, qui licitum concludat furtum centum aureorum, quia minus furto mille aureorū.

Nunquam, inquis Theologus dixerit, Ecclesiam non esse numero vnam. Quod nō negarim si Theologum intelligas Iesuitam: contra verò, si Theologum sani cerebri, cuiusmodi te non esse apertè prodis, quum id concludis, quia Ecclesia sit columba illa vna, & virgo casta Christo desponsata, nam hæc antecedentia illud consequens non inferunt, nisi prius ostenderis nullam esse vnitatis rationē nisi ex numero. Ecclesiam Satanæ non esse vnam numero, iampridem sciebam: sed ne esse quidem vnam specie tu debes à me discere: quia, non tantū in cœtus indiuiduos multiplicatur, sed etiam in differentias specificas, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum Manichæorum, Papistarum. De Sacramentorum integritate egregiè calūniaris. Nō esse enim apud schismaticos legitima Sacramenta ego nusquā dixeram: sed de vsu tantum eram loquutus, his disertis verbis: Ego non substantiam dicebam esse corruptam, sed vsum. De Cypriani temporibus quod obiicis, facile video non expendisse: quæstio enim tum fuit, non de Sacramentis in genere, sed duntaxat de Baptismo: neque vnquam decretum omnia apud Hæreticos Sacramenta esse legitima. Quare frustra mihi Bezam obiicis, frustra etiā miraris nos nō transisse ad Anabaptistas. De vniuerso meo disputandi modo, ex quo me arguis Dialecticæ imperitum, nihil, respondeo tantum testor ineptissimum esse te eius rei iudicem, qui ne noris quidem aliorum ἀναλύειν argumenta:

quod

quod vt doceam indicio non longè petito, en tibi tua verba: *In Dialecticis præceptis tuam patefacit ruditatem, quod nullum agnoscis medium in argumentatione Ignatij, quum probat fœdius esse flagitium, Sacerdotis Apostatæ concubinatum fucati matrimonij nomine tectum, quàm simplicem concubinatum, aut fornicationem, ex eo quod deterius sit solenne castitatis votum, quo matrimonij incapaces efficimur, simúlque castitatem violare, quã castitatem solam, hoc est, nullo voto promissam Deo & consecratam.* Hem, Gautiere, non pudet Dialecticæ ignoratæ tam luculentũ nobis specimen exhibere? Atque Ignatius neque id asserebat, neque eo argumẽto. Non asserebat, inquam, grauius esse crimen Sacerdotis matrimonium simplici fornicatione: sed hoc asserebat, post Costerum: grauius esse crimen Sacerdotis matrimonium, Sacerdotis scortatione: quod ego Deum atque homines testor, esse impiũ, sceleratum, sacrilegum, hæreticum axioma. Argumentum autem inde petebat, quod Sacerdos inhabilis esset ad cõtrahendum matrimonium: quasi sic concludens: Sacerdos inhabilis est ad contrahendũ matrimoniũ: ergo grauius peccat si contrahat quàm si scortetur. Qua in argumentatione negabam vllũ esse medium: nec tu vllum ostendis, ac ne potes quidem. Nam quod pro exemplo affers ridiculum est. *Qua eadem cæcitate*, inquis, *cogeris inficiari cõsequutionem eius ratiocinationis, qua concluderem grauius peccare qui se rem alienam domino redditurum iurasset, nec tamen redderet, quam eum qui nullo præmisso iuramento detineret.* Hoc enim exemplum nõ tantum varia cõparat peccata, sed etiam varias personas, nẽpe eum qui iuramento sit obstrictus, cum eo qui non iurarit. At in hoc negotio hæc personarum diuersitas

nullum habet locum: nam eadem vtrinque persona supponitur. Quum enim sic quęritur vtrum grauiùs peccet Sacerdos contrahens matrimonium, quàm scortum fouens, idem est ac si conceptis verbis ita agerem: vtrum Ignatius qui solemni voto obligauit se ad castitatem seruandam, grauiùs peccet, si ducat vxorem, quàm idem Ignatius eius voti reus, si vagas libidines sectetur. Præterea, quorsum, quæso, tu mihi castitatis votum ingeminas? Nam id nullum erat in thesi: quæ mihi non Sacerdotem iuratum in castitatem, sed simpliciter Sacerdotē nominabat. Quid? tun' censes idem esse, Sacerdotium & solemne votum castitatis, vt nullus esse posśit Sacerdos, qui non vouerit castitatem perpetuam, id est, cœlibatum? Hæc quidem monstra necesse fuit Iesuitas in orbē hūc nostrum inuehere. De Ecclesia Catholica rursus obstrepis, & minitaris nescio quos quindecim annorum pueros: quos ego cur timeam, quū triginta aut quadraginta annorū viris vires nullas esse experimēto didicerim? Enimuero quid hoc est, si Ecclesiam Catholicam dico esse vnam specie, ideo mihi negandum Paulum Catholicum esse vnum numero? Hoccine verò est non puerorum, sed virorum Iesuitarum acumen? vt quia homo sit species, ideo Petrus homo non sit indiuiduum? vt quia Grammatica sit scientia, ideo grammaticus non sit homo? vt quia Gallia est prouincia, ideo Gallus non sit ciuis? Et tu te Dialecticum iactes, Gautiere? & tu mihi pueros tuos obiicias? nempe prouectiores omnes apud vos delirant. *Etsi*, inquis, *Grammatica intercedit affinitas inter Ecclesiæ Catholicæ nomen & τὰ καθ' ὅλου, alio tamen sensu Theologi Ecclesiam vocant Catholicam.* At hoc

hoc,inquã,à te probatũ oportuit; quis tu enimes, cuius solo verbo credamus? Maximè quũ statim ineptiã tuã apertè prodas. *Sicut mundus,* inquis, *quãquam à Græcis passim appelletur* τὸ ὅλον τὸ πᾶν *à Latinis vniuersũ,vniuersitas, à nullo tamẽ Philosopho aut Theologo censetur esse species.* At enim ex te quæro,Gautiere,quæ te aut philosophia,aut Theologia docuerit confundere τὸ ὅλον & τὰ καθ' ὅλου. Nam hactenus credideram nonnihil interesse. τὰ ὅλα enim dici singula indiuidua cõparata suis partibus, puta hominis corpus, cuius membra nec nomine nec definitione sint homines. At τὰ καθ' ὅλου dici, vt genus,vt speciem,quę suum nomen suámque definitionem suis partibus communicãt. Apud Latinos autem nemo nescit vniuersum duplici notione vsurpari, vt & vniuersum corpus dicatur,nempe suis omnibus mẽbris perfectum: & vniuersi homines, hoc est eiusdem speciei, omnia indiuidua. In hoc verò sermone quęnam sit Catholicę notio, illud indicat quod obseruaueram,eius Ecclesiæ partes,ipsas etiam singulas Ecclesias dici, vnde hæc nata est Epiphanij phrasis in Ariomanitis ὅσαι ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, quæcunque Ecclesiæ erant pertinentes ad Ecclesiam Catholicam, quod in totis integralibus nunquam accidit, vt idem sit nomen totius & partis. Itaque,Gautiere,frustra nodũ quæris in scirpo. Ecclesiam autem non tantùm dico non esse vnam nisi ratione & mentis conceptione, sed ne esse quidem omnino alia ratione: quod tu cùm menti linguæque vitiatæ tribuis,ostendis qui vir sies quãtique ingenij. Quorsum enim credo Ecclesiam Catholicam? De hac phrasi, situm esse in indiuisibili, non contendam multis; ego me eam nego apud vl-

lum auctorem bene latinũ vidisse:illos autem, qui nihil putant bene doceri nisi barbarè, sponte profiteor non legere nisi valde obiter, quum mihi tot meliores suppetant, quot euoluendis vix credam satis futurum etiam longissimæ vitę spatiũ. Interea hoc verum est, ea phrasi id mihi Ignatium tribuisse, quod ne somniarim quidem, vbicunque aliquod exstet verę doctrinæ caput, ibi esse eam sinceritatem quam notam facimus Ecclesiæ: in quo mẽdacio non ignorantia est, sed malitia. Quod meo libello responsurum fuisse dicis Ignatium, si quid haberet quod responsum exigeret, accipio omẽ: nam quia responsum nominas pro refutatione, à te iam disco in meo illo scripto nihil esse quod refutationem mereatur. Hoc reliqui iam securi possunt credere, quum tu veritati inimicus, vt pote Iesuita, ita testeris. Sed mirum est te tuúmque Ignatium non sapere, destitutósque argumentis quibus solidæ veritati resistatis, non eiurare putida vestræ hæreseos mendacia. In eo ex nostris quem audisti suæ argumenta prędestinationis capere ex bono corporis habitu, agnosco calumniam Cotoni, cui tu nimis εὐηθὴς fidem habuisti id tibi de me asserenti; prout didici te cuidam ex nostris declarasse in eo cõgressu cum nostro Vinæo viro doctissimo, in quo οὐσίαν apud Theodoretum contendisti significare accidentia, eo quod deriuetur ἀπὸ τοῦ εἶ acumine plane Iesuitico. Atque id profectò ingens est mẽdacium, Iesuita dignum: dignum, inquam, Cotono auctore, dignũ, Gautieri fide: sed indignũ viris bonis, quales apud Iesuitas nec nasci nec fieri, iampridem docuit certissima experiẽtia. Vale Gautiere, & si sapis Idololatriã aut defẽdito, aut eiurato: Imo verò si sapis

pis ne defendito, sed eiurato, transiens in eorum castra, à quibus poteris doceri quomodo ritè colendus sit Deus, quod tu nondum cogitasti. Ex Acusiorum colonia IX. Cal. Decemb. CIↃ IↃ XCIX.

Tuus in Christo, si tu ipse Iesu.

CHAMIERVS.

IACOBO GAVTIERO IESVITAE DANIEL CHAMIERVS.

NOn facile sibi multi persuasissent, Gautiere, Iesuitas, qui sibi animarum conuertendarũ prouinciã his temporibus quasi proprio iure arrogãt, & tanto cum fastu conciones habẽt apud populum, tam nullis fore viribus quum prouocantur ad examem doctrinæ. Et sanè non satis honestè Cotonus subduxit se ab iis inquisitionibus ad quas inuitatus fuit à Gratianopolitanis, à Nemausensibus atque etiam à me ipso. Ignatius etiam videtur non satis suæ dignitati consuluisse, quum tibi auctor fuit scribẽdi ad me, nihil se in meis postremis offendisse, quod responsum exigeret. De te autẽ quid cogitare possumus, quũ à me prouocatus, ne prodire quidẽ sis ausus, sed Cotonũ mihi suffice re dixeris? Cotonũ inquã, illũ qui iãdiu abiecit arma? Quod tamẽ si esset ex vi aliqua cõsciẽtiæ, posset nõ improbari, imo spẽ bonã facere: sed hoc vestrũ ingẽs est crimẽ, quod non desistitis à spargendis magno studio apud populum hęresibus Ecclesiæ Romanæ, in quibus iusta disputatione asserendis, magis estis muti quam lapides. Hæc tua fugitatio efficiebat, vt te censerem omittendum:

ſed tuus in hanc vrbem aduentus conſilium immutarit meum. Sic enim apud me iampridem ſtatui, noſtri eſſe officij, vt ne plebem incertam relinquamus eius doctrinæ, quam à nobis audit: efficiamus potius vt agnoſcat vtri ſint pro falſis doctoribus habendi. Quorſum ſtentorei in ſuggeſtu clamores? Nihil eſt quod eò loci non facilè affirmemus aut negemus: qui enim accedunt iampridem ita ſe comparарunt, vt crediturі non oppugnaturi. Imò verò vix vnum inuenias qui diſcedens à Concione, quæ citata audiit inquirere dignetur, habeant-ne ſe ita, an ſecus. Vos etiam ipſi diligenter cauetis ne id poſſit fieri. Nam & noſtrorum librorum, (vnde calumnias ſubinde conſarcinatis, quas propinetis credendas eadem fide cum ipſo Euangelij textu, quod aiunt, quemadmodum audiui te in ipſo tuarum concionum exordio aſſeruiſſe à Caluino Deum conſtitui auctorem peccati, quod quidem apud vos ſolemne eſt, ſed impudentiſsimum mendacium) noſtrorum, inquam, librorum lectione interdicitis. Et citatis Auguſtinos, Baſilios, Chryſoſtomos, Athanaſios reliquos, quorum ne ſuperficiem quidem veſtri norunt auditores. Age, Gautiere, quin eò deuenimus potiùs, vt doctrinā ſeriò examinemus, vnde non parum ad plurimos redibit vtilitatis? Eſt quidem is campus latiſsimus: ſed qui tamē otioſè percurri poſsit, delectis ordine capitibus controuerſis. Atque en tibi à me carceres recluſos, hoc ſcripto, quo tibi tres agitandæ theſes obiiciuntur. Negotium eſt hoc tempore luculentum, argumentorum feraciſsimum, quodque vobis ſolet magnificas quotidie declamationes ſufficere. A-

gè, agè

gè, agè, Gautiere: ne fugitato nunc tandem: ne onus in Cotonum reiicito: ſed teipſum potiùs exhibeto doctorem non malæ fidei. Atque equidem hoc in primis habeo votis, vt agas modeſtè placidéque: adeóque id te obnixè rogo: ſed quia ex literis iam à te acceptis coniicio, vel à tuo ipſius ingenio, vel ab ea inſtitutione quæ te Ieſuitam reddidit, alio te abduci, hoc totum quicquid eſt de modeſtia tuo arbitrio permitto. Si ſcribis modeſtè, habebo gratiam: efficiámque vt ne me vincas. Sin tibi aliud ſedet animo, non iraſcar, non coniiciam in ignem ſcripta tua, ſed reſpondens, quicquid erit argumentorum ſelegam, ſeponámque refutandum neglectis iis omnibus, quæ immodeſtiam redolebunt: atque ſpero equidem id mihi Deum meum largiturum vt ne te per deuia ſecter. En tibi theſes.

I. Vnum idemque corpus ſimul eſſe in pluribus locis aſſeritur contra ſanam Philoſophiam, certámque Theologiam.

II. Chriſtus, etiam in gloria ſedens ad dextram Patris, corpus habet, verè corpus, noſtroque ſimile, in omnibus iis quæ ſunt de natura & eſſentia corporis humani.

III. Quare, error eſt abſurdiſſimus, cùm in Philoſophia, tum maximè in Theologia, eorum qui aſſerunt Chriſti ipſiſſimam corpoream ſubſtantiam adeſſe omnibus locis, quibus Euchariſtia celebratur.

Exſpecto, Gautiere, quid ſis ad has theſes obiecturus. Vale: ex Muſæo, VIII. Id. Decemb. CIƆ IƆ XC IX.

CHAMIERVS.

IACOBO GAVTIERO IESVITÆ DANIEL CHAMIERVS.

ERgo à te nihil exſpectandum prætereà, Gautiere? Et obfirmaſti animum tuum, ne doctrinam tuam exponas modeſtè & ſolidè examinandam? Memento eam ob cauſam à Tertulliano hęreticos appellatos lucifugas ſcripturarum: Memento ante Tertullianum, à Chriſto dictum eſſe, eos odiſſe lucem qui male agunt. Diſcant verò ij quicumque animas ſuas tibi credunt inſtruendas, diſcant inquam, hoc ſaltem experimento, quàm id merito ſuſpectum habere debeant quod à te docentur: curámque ipſi tandem aliquando ſuſcipient ſuæ conſcientiæ, quam vident à te ſic neglectam. Vtinam aperiat illis Deus oculos, quo percepta vera luce, verè perſpiciant quibus vos præſtigiis ſuas animas ludificemini, quibúſque ſophiſmatis non detineatis tantum, ſed etiam magis ac magis mergatis in profundum idololatriæ. At enim quænam proh Dei atque hominum fidem, hæc eſt ars Ieſuitica? Miſi theſes ſuper famoſiſsima quæſtione, vt accepta tua aduerſus eas argumenta, hac lege examinarē, vt niſi vanitatem digito oſtenderē, cùm tibi, tū iis quibus iis argumētis fœdè imponitur, tū ego ſanè doctor haberer mēdacij, deriuato in me ipsū tuo nomine. Nō erat honeſta conditio? Imo verò etiam digna hoc tempore, quum & gregibus odio iam tandem eſſe debent tot tantæque contentiones, vnde ſchiſmata tam in religione quam in repub. Et paſtores ſi vmquam aliàs bonam ſuam conſcientiam omnibus quam luculentiſsimè teſtatam eſſe velle debent.

bent. Hanc igitur conditionem, ecquis credidiſſet reſpuendam à Ieſuita? Ab eo, inquam, cuius hoc inſtitutum eſt, hic finis, hic ſcopus laborum (teſte tuo Ignatio in prioribus ad me literis) cùm ſuæ ipſorum, tum aliorum omnium, præcipuè autem eorum quos impia hæreſis ab vberibus ſanctæ matris Eccleſiæ abſtraxit ſaluti & perfectioni impensè incumbere? Ab eo denique, qui eam ipſam ob cauſsã, huc venit, vt Romanã religionẽ iamdiu profligatam inſtauraret? Atqui ita eſt: ita eſt prorſus: hic ipſe Ieſuita vel noluit, vel non auſus eſt potius, ne ea quidem propoſita conditione, me quem Grammaticulum appellat, erroris arguere, ſuámve doctrinam aduerſus me confirmare. Iudicate vos, quicunque eſtis hæc cognituri, aut præiudicate ſaltem, quis qualiſque ſit totus ipſe Papiſmus: quando eius præcipuæ columnæ non putãt ſe futuras ſatis ei quum concutitur, ſtabiliendo. Equidem ſcio magnificè illos declamare, triumphare etiam arguendo: ſed quando, aut vbi? apud populum, in ſuggeſtu, pro concione, quo ſatis ſciunt neminem acceſſurum, cui contradicendi animus ſit. Næ tibi facillimum fuerit, Gautiere, quicquid habes eloquentiæ reconditę, apud populum depromere, qui à te pendet, nec te accerſiſſet, niſi iampridem ſtatuiſſet adorare quicquid tibi in buccam venerit. Et quid obſtaret, quæſo, quominus magno ſpiritu Caluinum increpares, increpares Bezam, magnos illos viros: viros, inquam, quorum ne oris quidem præſentiam ferre poſſes? Viros, inquam, illos, autores etius καιρίας πληγῆς qua accepta iampridem nihil quã moribundus languet Papatus, tum denique extre-

mum emissurus spiritum, quum iudex ille iudicum apparebit, qui illustri suo aduentu eum abolebit, quem iā confecerit spiritu oris sui. O triumphos! ô Laureas! nempe hoc illud est, quod vetere fertur prouerbio, Leoni barbam vellunt vel ignauissimi lepores, sed mortuo: Ea, ea inquam, vera est idea tui, tuorumque allatrantium nomen illud Caluini, nunquam futurum vobis non terrificum. Et verò perlepidum, teque adeo, lepido homine, dignum auditoribus tuis valdéque iucundum exhibes αὔλημα quum concepto ex disputationis vehementia, plusculo ardore, Accedant, exclamas, accedant huc iam illi Caluini ministri. Optimè sane: Eia, eia, quid torpetis ô vos ex altero seculo huic bono seruatæ anus decrepitæ? quin acclamatis illud solemne, Io triumphe! O fortissimum ministrorum debellatorem! ô quem vniuersa paueat aduersariorum cohors! Sed enim, vnde igitur nobis totus tremis, fremísque quoties ab eorum aliquo prouocaris: nec tibi salutis quicquā reliqui esse factū putas, nisi abscōso in medio tuorū cœtu, quò satis nosti neminē accessurum, cui, etiāsi cuperet, liberū sit tecum experiri? Et tu sic nos credas abūdè refutatos? Caue te ipsū tā fœdè decipias: aut tā parui cōstare putes disputationes de religione. Si nihil aliud Rex noster quā lustrasset exercitū intra suarū vrbiū mœnia, tū cùm perduelliones, qui ei exsiliū minitabātur in Pyrenæos mōtes toto cāpo exsultarēt, an tibi persuadeas illos ab eo vincēdos? Et te speret aliquis futurū columen religionis Romanæ, quum sic fugites? Imò verò hinc aliquis potius incipiet sapere, vt cogitet quid sibi immineat apud vos mali: Eorum certè nullo deinceps

prætextu

prætextu excuſabitur pertinacia, qui eam mordicus doctrinam retinebunt, quæ odit examen canc peius & angue.

Cæterùm nondum defeſſus ſum, vtcunque iam bis cluſeris: quin potius obiicit ſe animo, Pauli admonitio, inſtandum ſanæ doctrinæ opportunè & importunè. Quare quando ob nudas theſes educere te in arenam non potui, en tibi me negotium alia aggredientem via: ea ipſa videlicet, quam tu mihi Turnone datis literis indicaſti, quum te pollicebare, ſi indicarem dubitationes, quæ mihi aduerſus tuorum argumenta ſuborirentur tantum laboris ſuſcepturum, quantum mihi ſanando ſatis eſſet. Accipe igitur refutationem eorum argumentorum, quibus Bellarminus tuus, primam è meis theſibus oppugnat. Non quod non mallem in magnifica illa tua concione laborare: ſed quid agerem? Ei ego non interfui: referuntur autem ad me particulæ duntaxat nonnullæ ſatis malè confutæ: te verò ſpes eſt nulla eam ad me deſcriptam miſſurum, ſiue totam ſiue per epitomen. Itaque Bellarminum aggrediar, vt te per eius latus confodiam: nam & tibi vix alia ſuppetere crediderim argumenta. Tu ſta promiſſis, fidémque tuam candidè liberato: certúmque habeto, ſi etiamnum fugites, nullam tibi reliquam futuram cauſsam, quam prætexas, quominus & te iudicemus non ſatis religioſum, & tui auditores ei doctrinæ valedicant, quam nullo pacto, ne prouocatus quidem ſæpius, argumentis audes propugnare. Bellarminus igitur De Euch. l. 3. cap. 3. vt probet vnum idémque corpus ſimul & ſemel in pluribus locis eſſe poſſe, enumerat ſex argumenta: primum ab omnipotētia Dei:

alterum ab apparitionibus Christi: tertium è nonnullis patrum dictis: quartum ex natura Dei, & animę: quintum ab articulis fidei difficilioribus: nouissimum ex eo quod duo corpora esse possint in eodem loco. Hæc ille: quæ esse futilia, inepta, nulla, quæso à me vt iam discas.

Scriptura (inquit) testatur Deo nihil esse impossibile. Recte inquam: sed hæc omnipotentia, numquam aliquid factum cõcludit, ineptéque sic colligitur, Deus id ita potest: ergo id ita est. Quis dubitet omnipotentia Dei, effici posse ne veniret Antichristus? Negemús-ne igitur Antichristum venturum? Etiam bufonibus alas dare & potuit & potest creator. Eia igitur Iesuitæ, esto hoc vnũ vestræ caput Physicæ, bufones volare. Quin ipse Bellarminus capite præcedenti disputat, multa Deo esse possibilia, quæ is tamen numquam effecerit, aut etiam sit effecturus. Quis igitur dubitet ad imposturam accommodatas, has plausibiles ad populum declamationes in hunc locum communem? Dico insuper, ne ipsum quidem Bellarminum inficiari potuisse, ea non cadere in omnipotentiam Dei; quæ implicant contradictionem: cuiusmodi hæc sunt: efficere vt aliquid sit, & non sit: fuerit & nõ fuerit: vt quis simul saluetur & damnetur: vt quis simul mortuus sit & viuus: multaque præterea. Ego autem assero, in hoc ordine numerandum id axioma quo statuitur corpus in pluribus simul locis quod eò recidit, vt dicatur corpus esse finitum & non finitum. Instat Bellarminus tripliciter. Primò, principium nostrũ esse, nihil esse credendum sine verbo Dei. At verbum Dei nusquam excipit à Dei Omnipotentia, vnum corpus

corpus esse in duobus locis. Respondeo, primum ineptissimè concludi ex puris negatiuis. Secundo Bellarminum nescire, aut quid nos credamus, aut quid ipse dicat. Nos credimus quicquid scriptura disertè asserit; sed & quidquid inde consequitur necessariò: hoc autem caput huius est generis: Tertiò, corpus vnum esse in pluribus locis, non esse articulum fidei, sed quæstionē potius de proprietatibus Physicis quas Deus indidit corpori. In iis autem rebus quæ nō sunt de fide, quis nos vnquā audiuit asserentes nihil credēdum præter id quod, scriptum est? Denique hoc nostrum est iudicium, eum ordinem quē creatis rebus Deus præscripsit, non debere ab hominibus confundi, aut inuerti temerè: sed tū denique cum eò cogit immutabilis veritas verbi diuini. Ideoque etsi verum esset nullam hoc capite implicari contradictionem: non esse tamen asserendum, quandoquidem inuertit ordinem naturæ, & caret scripturæ fundamento. Eam ob rem antiquitas huic se ordini adhæsisse testatur Augustinus Epist. ola tertia. Quātuncumque sit corpus, seu quantulumcunque corpusculum loci occupet spatium necesse est: eundémque locum sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum. Cyrillus disertius, & ansam præcidens argumēto ab Omnipotentia, asserit lib. 2. de Trin. ipsam diuinam naturam, si esset corpus, necessario futuram in loco, magnitudine, & quantitate. Audin tu Gautiere: ne diuinam quidem essentiam excipi? Et tu mihi iam omnipotentiā in creaturis iactes? Rursus August. Ep. 57. Spatia locorū tolle corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt,

Secunda instantia: principium nostrum esse,

eam esse veram doctrinam, quæ Deum exaltat, & hominem deprimit, & contra falsam esse, quæ hominē exaltat & deprimit Deum. Atqui dicit, inter ea quæ potest Deus, esse etiā ponere vnum corpus in pluribus locis, hic Deum exaltat, & hominem deprimit: Ergo est vera. Respōdeo primum imponi nobis: quia eam regulam agnoscendæ veræ doctrinæ nos numquam tradidimus: nec potest etiam absque mēdacio asseri: deinde & breuius, nunquam mendacio Deum exaltari: hîc verò ne hominem quidem deprimi, sed exaltari potius, vt cui permittatur suo arbitrio Dei omnipotentiam metiri. Tertia instantia est, illa implicare cōtradictionem, quæ pugnant cum essentia rei, ita vt dicatur res esse & non esse. At esse in loco, non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum, & accidentarium: nam vltimum cælum est verum corpus, & non est in loco. Ergo non repugnat essentię corporis, esse in vno vel pluribus locis, cùm sint omnia extrinseca & posteriora ipsa corporis essentia. Respondeo multa. Primum contradictio est, nō tantùm quum quid asseritur esse & non esse: sed etiam, quum ponitur esse ita, & non esse ita: vt si dicas, Solem esse calidum, & non esse calidum: Christum esse in cœlis, & non esse in cœlis. Hæc autem quæstio huius est generis, si non est alterius. Secūdò, differt locus à localitate. Locum non negauerim nullo modo esse de essētia corporis: nam sanè: exempli gratia, non est cœlum de essentia corporis Christi, aut terra, de essētia nostri corporis: sed localitatē esse de essentia & natura cuiuslibet rei finitæ, ideoque corporis, qui neget, hic profectò non sit sanus: vnde Augustinus cap. 16. contra Epistolam fundamenti.

menti. Omnino nõ poteſt eſse aliquod corpus, ſiue cœleſte, ſiue terreſtre, ſiue aëreum ſiue humidum, quod non minus ſit in parte quam in toto, neque vllo modo poſſit in loco huius partis ſimul habere aliam partem: ſed aliud hîc, & aliud alibi habens, per quælibet ſpatia locorum diſtanti & diuidua, vel potiùs, vt ita dicam, ſectili mole diſtenditur. Tertiò ineptiſsima eſt concluſio: Locus non eſt de eſsentia corporis, ergo nulla eſt cõtradictio, quum aſseritur idem corpus, ſimul eſse in pluribus locis. Nam ne colores quidem ſunt de eſsentia corporis: nec tamen minus fœda ſit contradictio ſi aſseras niuẽ ſimul eſse albam & nigrã, viridémque: quia id ſua natura nix habet, vt ſit vnius duntaxat coloris, eiuſque candidi. Denique hoc quamuis ſuperat ἀφροσύνην, quum ſic colligitur: Locus eſt accidens corporis, ergo vnum corpus poteſt eſse in pluribus locis. Hactenus enim, id accidẽs credideramus dici, quod adeſt, & abeſt citra ſubiecti interitũ: vnde hoc tantùm concludi poſset, corpus poſse eſse in loco, vel ſine loco. Iam ſi concludas eſse in loco, id intelligendum ex ipſa corporis natura, quę cùm ea ſit, vt ipſum ſit in vno tantum loco, abſurdè concludas, quia locus ſit accidens, ideo corpus eſſe in pluribus locis. Sin verò concludas non eſſe in loco, ſumma erit inſania inde inferre, eſſe igitur in pluribus locis: nam eſſe in nullo loco, & eſſe in pluribus locis ſunt contradicentia. Poſſit quidem fortaſſe is tolerari, qui, quia colores ſunt accidentia, ideo dixerit corpora poſſe eſſe abſque vllo colore, quod de aqua & aëre nonnulli ſunt opinati: ſed qui inferat idem corpus ſimul habere poſſe vniuerſos colores is ſeipſum ridendum propinet.

Cœlum verò ego constanter nego non esse in loco. Aristoteli aliter id quidem videtur: sed oppono Augustinum lib. 2. de serm. dom. in monte. Sunt enim, inquit, cœli excelsa mundi corpora; sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco. Augustino Iustinum addo ipsum etiam Philosophum. In euersione Aristotelicorum dogmatum cap. 24. πῶς οὐκ ἔστι τῶν ἀδυνάτων, τὸ τὸν ὄντα ἐν τῷ τόπῳ οὐρανὸν, λέγειν ἀγένητον. Et cap. 26. εἰ ἀγενήτως καὶ ἀνάρχως ὑπάρχει ὁ τόπος ὅ ἐστι, καὶ ἔχει ὃ ἔχει, ἀγένητος ἄρα ὁ τόπος, καὶ πρῶτος τῶν ἐν τόπῳ πάντων, ἐν οἷς ἐστὶν ὁ οὐρανὸς, καὶ τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ φαινόμενα. Et postea etiam disertius c. 28. εἰ τὸ κατὰ φορὰν κινητὸν καθ' αὑτό που, κατὰ φορὰν δὲ κινητὸς ὁ οὐρανὸς, καὶ καθ' αὑτὸ ἄρα ἀνάγκην εἶναι που τὸν οὐρανόν. Rursúsq. εἰ οὐκ ἔστιν ὁ οὐρανὸς ἐν τόπῳ κατ' αὑτὸν, πῶς κυκλικὴν φορὰν φερόμενος, τῶν μερῶν αὐτοῦ τὰ μὲν ἄνω γίνεται κάτω, τὰ δὲ κάτω γίνεται ἄνω; ἄνω δὲ καὶ κάτω ὢν τοῖς αὐτοῦ μέρεσι, πῶς οὐκ ἔστι ψευδὲς τὸ λέγειν τὸν οὐρανὸν μὴ εἶναι ἐν τόπῳ? Hęc illi; Aristoteles autē inde hallucinatus est quòd falsam substrauerit loci definitionem, esse superficiem corporis continentis aliud corpus: quę nulla sui parte stare potest: nam Theologi locum nôtant supra omnes cœlos, vbi nullum est corpus quod contineat: & locum assignant Angelis, etiam sub cœlis, qui tamen non sunt corpora quæ continèantur: vt prorsus necesse sit fateri, nec omnem locum esse superficiem corporis continentis: nec omnem locum cõtinere corpus. Præterea, etsi eam ipsam concedamus definitionem, atque etiam inferamus verè cœlum non esse in loco: tamen nondum legitimè Bellarminus collegerit, posse igitur corpus esse in pluribus locis: nam illud ipsum cœlū etsi fingatur non in loco, tamen nulla cogitatione fingi potest esse in pluribus locis.

Secun-

Secundum argumentum ducebatur ab exemplo scripturæ diuinæ: Christus enim quum Apostolo Paulo apparuit, Act.9. & 22. fuit simul in summo cœlo, & in terra, siue in aere terræ vicino: Respondeo, nullo necessario argumento probari, tum in terra, siue in aere terræ vicino fuisse Christum. Augustinum autē disertis verbis asserere fuisse in cœlo, non in terra, Tract.10 in 1.Ioann. Ascensurus dixit verba nouissima: post ipsa verba non est loquutus in terra. Iam non inuenis loqui Christum in terra: Inuenis illum loqui, sed de cælo. Rursus idem in Psal. 54. Caput in cælo erat, & dicebat: Quid me persequeris? Audistin Augustini sententiam? Et tamen cōtra Bellarminus disputat, Christum Paulo visum esse verè & propriè oculis corporalibus, ídque in terra, nō in cœlo. Audiamus argumenta. Quum dicit Lucas viros, qui comitabantur, stetisse stupefactos, vocem quidem audiētes, neminem autem videntes: ponit Antithesin inter Paulum & comites eius, quasi dicat, Comites eius audiebant vocem loquentis, sed non videbant quis loqueretur: Paulus autem, & vocem audiebat, & videbat eū qui loquebatur. Barnabas etiam narrat Apostolis, quemadmodum Paulus vidisset Dominum. Et Ananias ca. 22. itidem. Et sanè, non fuisset verus testis resurrectionis Christi, nisi ipsum corpus vidisset, quod resurrexerat, ídque oculis corporalibus. Respondeo his argumentis, id tantum concludi, Christū à Paulo visum: at non simul existentē in cœlo & in terra, quæ præcipua est, imò verò tota est quæstio. Deinde nego ea argumenta esse certa. Enimuero, quo iure nobis illa obiicitur Antithesis? aut quam ex ipso contextu, non dico demonstrationem, sed vel

coniecturam profert Bellarminus, vt eā confirmet? At ego hæc à Luca notari dico, eò tantum, vt postquam de Paulo esset loquutus, exponeret quid eius accidisset comitibus. Vocabulum autem, videndi, quo vsi sunt Barnabas & Ananias, omnes norunt vsurpari in quibuslibet extra ordinem visionibus, quibus etiam inde nomen est inditum, in quibus Deus exhibet aliquod argumentum suæ præsentiæ. Lucas enim in describēda Petri visione, decimo & vndecimo capitibus Actorum hoc vocabulo liberè vtitur, etsi exstasis describatur. Paulus etiam ipse Actorum 22. asserit se in exstasi vidisse Dominū. Quare non sequitur, si Paulus Christum viderit, vidisse oculis corporeis. Nec eo minus fuit verax testis resurrectionis: quæ enim tum Paulus habuit præsentis Christi testimonia, scilicet lux illa immensa, maximè autem colloquium, erant certissima, vt abūdè doceret eum surrexisse. Quare nihil cogit vt Christum à Paulo visum dicamus ipsis oculis corporeis: quin potius non desunt in contrarium argumenta: nam primum lux immēsa splenduit circa eum: quis autem nescit ab huiusmodi luce, vsum oculorum interuerti? Deinde ipse describitur excæcatus. Ergo si accedentem Christum non vidit, propter lucem: si postea etiam non vidit, vtpote excæcatus, non vidit prorsus. Denique quid habuit Paulus, quo magis Christum videret, quam eius comites, qui cum eo dicuntur fuisse, nec tamen vidisse? ij, inquam, quos lux illa non excæcauit.

Sed iam videamus quomodo Bellarminus probet Christum fuisse in terris, hoc est, quomodo Augustinum arguat mendacij. Tāta, inquit, lux Christi Paulum circunfulsit, vt eum planè excæcauerit: non autem

autem lædere potuisset eius oculos lux illa corporis Domini, nisi propinqua fuisset. Deinde lumē quoddam etiam comites eius viderūt, & sonum quoque vocis audierunt, quod est argumētum certissimum in terra vel in aëre proximo Christum apparuisse: nec enim comites Pauli summum cœlum oculis & auribus penetrare potuissent. Ad hæc licet comites Pauli audierint vocem Act. 9. tamen non distinctè intellexerunt, quid Dominus dixerit Act. 22. Quare propinquior Paulo Dominus fuit, quā aliis, & quasi in aurem ei loquutus est. Si autem de cœlo vox facta fuisset, omnes æque audissent. Respondeo, ea omnia, nihil esse aliud præter coniecturas tenuissimas eorum, qui quid solide dicant, non habent. Lucem propinquam fuisse Paulo, non nego, nam eum dicitur circūfulsisse: sed nō idē est lux, & corpus Christi. Lux Solis nonne sufficit excæcandis iis qui sunt in terra, Sole nusquam recedente à cœlo? Et id nos denegabimus corpori Christi? Etsi lucem illam fuisse corporis Christi sumitur potius, quàm euincitur. Quum esset igitur propinqua, non fuit necesse, aut Paulum, aut eius comites oculis cælum penetrare; idémque respondeo de voce: nam sonum etiā eum solemus audire cuius origo procul sit à nobis: sic non fuit necesse auribus cœlum penetrare, quū sursum edita vox est, Hic est filius meus dilectus. In aurem loquutum fuisse Christum Paulo, prorsus ridiculè asseritur: Augustinus sanè paulò antè asserebat loquutum esse è cœlo, non ex terra. Glossa etiā interlinearis, in 9. Act. testatur à Paulo eum fuisse appellatum Dominum qui vocem dabat è cœlis. Et hanc quidem vocem non fuisse à comitibus distinctè acceptam, nō eam inficias: sed vicissim dico, ne

ſonum quidem accepturos fuiſſe, ſi Paulo in aurem Chriſtus fuiſſet loquutus. Quis verò Domino liber tatẽ eripiat operandi pro arbitrio? Apud Ioannem cap. 12. vox dicitur facta de cœlo in hæc verba, Et glorificaui eum, & iterum glorificabo. Huius vocis ſonum quicũque aderant, audiebant, ſed non omnes tamen diſtinctè: alij enim dicebant tonitru eſſe factum: alij Angelum eſſe loquutum. Nihil igitur obſtat, quominus Chriſtum dicamus è cœlis eſſe loquutum: eiúſque vocis ſonum ab omnibus auribus acceptum, ſed à Paulo duntaxat diſtinctè intellectum.

Atqui, inquit Bellarminus, ſi vidiſſet Paulus Chriſtum in ſummo cœlo, vt eũ vidit Stephanus, non dubitaſſet quiſnam eſſet: ſed quia repẽtè vidit coram ſe hominẽ quendam ſupra lucem ſolis rutilantẽ, ideo dixit, Quis es Domine? Denique ſi ſolũ in cœlo Paulus Chriſtũ vidiſſet, nõ fuiſſet idoneus teſtis reſurrectionis: potuiſſent enim facilè homines calumniari eius teſtimonium, ac dicere eũ deceptum fuiſſe, aut ſola imaginatione vidiſſe. Hæc ille. At ego: imò verò, inquam, quomodo fit probabile, Chriſtum à Paulo fuiſſe agnoſcendum, ex eo quod eſſet in cœlis? Magna ſæuitia Chriſtũ Paulus perſequebatur: vnde facilè apparet, ex illis eũ fuiſſe, qui negarent Chriſtum aſcendiſſe in cœlos: Et cõfirmatur inde, quod ipſe teſtatur ſe, ex ignorantia id feciſſe. Quid enim? credát-ne aliquis eum peccare ex ignorantia, nõ potius obſtinata malitia, qui eum perſequatur, quem tamen ſciat eſſe in cœlis? Ad hęc, Quid ſi, ne vidit quidem Chriſtũ Paulus oculis corporeis? Nempe totam hanc coniecturam ruere ſit neceſſe. Teſtimonij verò certitudinẽ nego vnquã

pendere

pendere ab eorum iudicio, qui audiunt:sed ex ipsa rei veritate quam viderunt ij à quibus id testimonium exhibetur: Sic, vt vt plurimi essent qui Apostolorum prædicationem quouis modo calumniabantur:tamẽ nõ eo minus verũ erat ab iis Christum visum, vt esset authenticum testimoniũ. Præterea, vt demus à Paulo visum reipsa in terris oculis corporeis, quo argumento Bellarminus euincet, nullos futuros qui etiam idipsum calumniarentur? Quasi reliquis Apostolis, non opponerent se multi vbique locorum. Concludo igitur Bellarminum nullo argumento probasse Christum simul & semel in terris fuisse, & in cęlis. De reliquis apparitionibus factis, Petro, Antonio, Tharsillæ, respondeo, quando iis quarum testimonium certum est ex Scriptura, non confecit Bellarminus quod voluit, apocryphas non fore vtiliores.

Tertiò argumentabatur ex Patribus nonnullis. Chrysostomus lib. 3. de Sacerd. disertis verbis affirmat, eũdem Christum eodem temporis interuallo, & sursum in cælo cum Patre sedere, & in terra omnium communicantiũ manibus pertractari. Et non loqui eũ de pertractatione solũ in symbolo, patet, quia tribuit id miraculo. Respondeo Chrysostomũ loqui de extraordinaria efficacia, quã Christus signis indidit institutione sua: vt nobis verè offerant, ac dẽt eius corpus: quam efficaciam vt disertius repræsentet, suo more consectatur hyperbolas: quod facile docet ipse locus totus. Dum cõspicis Dominum immolatum, Sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem: tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri: etiám-ne te inter mortales versari, atque in

terra conſiſtere cenſes? annon potius è veſtigio in cælos transferris? annon carnis cogitationem omnem abiiciens, nudo animo, mente pura circunſpicis quæ in cælo ſunt? O miraculum! o Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volẽtibus ipſum excipere, ac complecti. Fit autem id nullis prçſtigiis, ſed apertis ac circunſpicientibus circumſiſtentiũ omnium oculis. Hæc ille ſanctus pater, in quibus quot inuenias, quæſo, mẽdacia, ſi nõ diſcedas ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ? Aut quis vidit vnquã communicãtes rubro colore tinctos ex ſanguine? aut in cœlum delatos? Quis aſſerat ipſis oculis corporis videri Chriſtũ manibus pertractatũ? Hæc vt vitentur quæ ſunt omnia abſurda, nullo modo fieri poteſt, niſi diſcedendo ab eo quod totidem verba ordinaria notione ſignificant: vt omnia intelligantur, iuxta myſteriorum doctrinam, quæ per res corporales, ſpiritualia repræſentant. Quç hiperbolæ vt illi familiares intelligantur, en tibi alia exempla. Homil. 83. in Matt. Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis: ipſe ſeipſum tibi tradit, non vt videas tantum, verùm etiam vt tangas. Item linguam noſtram inde fieri cruẽtam aſſerit: alibi etiam eius carnibus dentes à nobis infigi, videri etiam ipſum in cunis. Quæ profecto omnia nõ tantum falſa ſunt, ſed etiã abſurdiſsima, ſi nõ intelliguntur niſi ad literam. Rurſus, idẽ Chryſoſtomus, & Primaſius, & Anſelmus, & Ambroſius in x. cap. ad Hebrços, idem corpus Domini in multis altaribus ſimul offerri dicũt. Reſpondeo, offerri quidẽ: at non rei veritate, ſed ſignificante myſterio: vt in de-

cretis

cretis loquitur Augustinus: indéque non effici vt ipsum corpus eodem momento pluribus locis sistatur. Denique Augustinus lib. de Cura pro mortuis cap. 16. proponit quæstionem, vtrũ quum in diuersis locis simul fiant miracula ad memorias alicuius martyris, sit ipse martyr præsens vno tempore, tam multis locis, an ista fiant ministerio Angelorum: ac respondet, quæstionem esse supra ingenij vires. Ita est sanè, inquam, mouit eam quæstionem Augustinus: sed indeterminatam reliquit: ideóque neutris fauet. Est verò quod nõnullam suspicemur nostrorum hominum temeritatẽ, qui suo freti iudicio, id definire audeant, quod Augustinus tantus vir, agnoscebat excedere sui vires ingenij. At, inquit Bellarminus, ex eo intelligimus, non existimasse Augustinũ impossibile esse, vt vna res sit in diuersis locis, alioqui non dubitasset, sed apertè dixisset implicare contradictionem. Imò verò, inquã, ex eo apparet Augustinũ nõ credidisse esse possibile, vt vna res sit in diuersis locis: alioqui nõ reliquisset incertã quæstionem, sed definisset, eo fretus, quod sciret eosdem sanctos vbique simul esse posse.

Quartum argumentum sumitur ab exemplis Dei & animæ rationalis. Deus enim cũ sit res vna, & simplicissima, atque indiuisibilis, tamen est simul in infinitis locis: est enim præsens totus Deus omnibus rebus creatis. Pari ratione anima rationalis tota est in qualibet parte corporis. Respõdebo primũ de Deo, tũ de anima. Deũ igitur esse in pluribꝰ simul locis, nõ satis cõsideratè dicitur: cũ nullo modo subiiciatur loco, eo ipso quod sit infinitę essentiæ. Loci enim hęc est essentialis proprietas, vt contineat locatũ: quũ igitur Deus nõ contineatur

ne in loco quidē eſſe dici poteſt. Solemus quidem in hūc modū loqui, Deus eſt hîc, eſt illic, aut alibi: ſed Theologū oportuit ſcire, has eſſe improprias phraſes, quibus per ἀνθρωποπάθειαν ea Deo tribuuntur, quæ noſtra ſunt potiùs. Hoc igitur aſſero nullum eſſe ſani cerebri indicium in eo qui cōcludat, Deus eſt vbique: Ergo vnum corpus eſſe poteſt in pluribus locis. Contra potiùs, quando Deum eſſe in pluribus locis eam ob cauſam ſolemus dicere, quia ſit vbique : hæc autem cauſſa in corporibus nulla ſit, ergo ne dici quidem debuit, vnum corpus eſſe in pluribus locis. Præterea, quum Deum dicimus, hîc eſſe, & illic, & alibi, non eſſe eos locos varios, habita ratione ipſius Dei, ſed noſtri potius ſic loquentium. Noſtra autem hęc quæſtio, varios locos conſiderat, ipſius corporis reſpectu. Equidē nihil erit abſurdi, ſi idē corpus dicas eſſe ad dextrā huius, & ad ſiniſtram illius: eſſe ſub cœlo, & ſupra terram, quæ totidem ſunt loci differentiæ: ſed idipſum corpus propterea eſſe in pluribus locis, nemo dixerit, tantum eum locum, in quo eſt, variè conſiderari. Valde igitur abſurdè colligitur, vnum idémque corpus eſſe in variis locis, habita eiuſdem corporis ratione, quia Deus dicatur eſſe in variis locis habita ratione rerum creatarum. Denique quod non obſtent varij loci quominus vnus idémque ſit Deus, id inde fit, quia inter eos locos, quæ interiecta ſunt ſpatia Deo non ſunt vacua: At in hac quæſtione ſic corpus in pluribus locis eſse ſupponimus, vt non ſit in intermedia diſtantia: Exempli gratia, ſic corpus Chriſti ab aduerſariis conſideratur in duobus altaribus eiuſdem templi in quibus eſt Euchariſtia, vt non ſit in tertio intermedio

medio(si quod est) in quo ea non sit: proinde non sequitur, vt æquè posſit corpus ſuam vnitatẽ conſeruare in pluribus locis, ac Deitas, cùm ratio ſit prorſus diuerſa. De anima ſimiliter diſputo, audaciſsimam eſſe hanc argumentationem, Anima eſt tota in ſingulis partibus corporis: ergo corpus poteſt eſſe in pluribus locis: nulla enim eſt antecedentis particula quæ congruat conſequenti. Auguſtinus(ſiue is potius eſt Fulgẽtius)de fide ad Petrum c. 3. teſtatur, non ſic datum eſſe corporibus vt ſint, ſicut ſpiritus accepérunt. Et contra Epiſt. fund. c. 16. Omnino non poteſt eſſe aliquod corpus, ſiue cœleſte, ſiue terreſtre, ſiue aëreum, ſiue humidum, quod non minus ſit in parte quã in toto: neque vllo modo poſsit in loco huius partis ſimul habere aliam partem: ſed aliud hic & aliud alibi habens per quælibet ſpatia locorũ diſtanti & diuidua, vel potius vt ita dicam, ſectili mole diſtẽditur. Animę verò natura, etiam ſi non illa eius potentia conſideretur qua intelligit veritatẽ, ſed illa inferior, qua cõtinet corpus, & ſentit in corpore, nullo modo inuenitur locorũ ſpatiis aliqua mole diſtẽdi. Hęc Auguſtinus: vnde quis nõ videt facilè cõtra potius concludendũ fuiſſe Bellarmino, quia nullo modo corpus poſsit eſse totum in qualibet parte, ideo ne eſse quidem poſse in pluribus locis? Præterea, aſsero ne id quidẽ, quod totũ eſt in qualibet ſui parte, eſse in pluribus ſimul locis. Eſt enim id vniuerſale omnibus ſpiritibus, vt ne in varia mẽbra ſecentur aut partes, & tamen Didymus ſic loquitur in lib. de Spir. Sancto. Angelus qui aderat, verbi gratia, Apoſtolo in Aſia orãti, non poterat ſimul eodẽ tẽpore adeſse aliis in cœteris mũdi

partibus cõſtitutis. Baſilius etiam lib. de Spir. Sanc. diſertè aſſerit omnes alias virtutes præter Spiritum Sanctum loco circunſcribi: Angelúmque qui adſtabat Cornelio, negat fuiſſe in eodem loco, vbi erat cum aſſiſteret Philippo: cúmve qui Zachariam allocutus eſt deſuper altare, eodem tempore locum ſuum impleuiſſe in cœlo. Concludo igitur in hunc modum: Si ne ipſa quidem, quæ ſunt tota in ſingulis partibus, poſſunt ſimul eſſe in pluribus locis, certè multo minus ea, quibus id nullo modo competit, id eſt, corpora.

Quintum argumentum ſumitur à myſteriis noſtræ fidei, vel difficilioribus, vel æque difficilibus. Primum eſt Trinitatis; alterum incarnationis: tertium reſurrectionis: quartum creationis & annihilationis: quintum æternitatis. Reſpondeo, non ſequi quia hæc credēda ſint, ideo credendum etiam eſſe, vnum corpus eſſe poſſe in pluribus locis: tum quia plus non efficit minus: neque enim ſi homini Deus rationem conceſſit, ideo etiam alas: tum quia hæc myſteria & diſertè traduntur in ſcriptura, & non implicant contradictionem: hoc verò nec docetur in Scriptura, & implicat cõtradictionem.

Sextum argumentum: Poteſt vnus locus capere duo corpora ſibi adæquata ſimul: ergo poterit etiam vnum corpus replere duo loca. Reſpondeo & antecedens eſse falſum, & conſequentiam ineptam. De antecedenti non dicam plura: ſed cõſequētiam inde doceo eſse nullam, quia duo ſpiritus cum poſsint eſse in vno loco, non poſsunt tamen eſse in pluribus locis. Ad hanc rem ita

Lombar-

Lombardus lib.1.d.37.Sunt qui dicunt nullum ſpiritum aliquo modo poſſe mutari loco, ab omni ſpiritu locum vniuerſaliter remouere volentes: quoniam ſecundum dimentionem tantũ & circunſcriptionem locũ conſtare aſſerunt:atque id ſolum eſſe locale,vel in loco eſſe dicũt quod dimẽſionem recipit,& diſtantiã in loco facit.Sed vt ſupra diximus, dupliciter dicitur eſſe res localis, vel circunſcriptibilis:ſcilicet vel quia dimenſionẽ recipit & diſtantiã facit,vel quia loci termino definitur:quorũ vtrunque cõuenit corporeæ creaturæ,alterũ vero tantũ ſpirituali.Nã vt ſupra diximus,corporalis creatura ita eſt localis vel circunſcriptibilis, quod determinatur definitione loci, & quod dimenſionẽ recipiens diſtantiã facit: ſpiritualis verò tãtum definitione loci cõcluditur,quũ ita ſit alicubi quod nõ alibi:ſed nec dimẽſionẽ recipit,nec diſtantiam in loco facit:quia ſi multi eſsẽt ſpiritus hic,non eo coãguſtarent locũ,quo minus de corporibus cõtineret.Hęc ille:quę cùm ita ſint, quis nõ videt iam conſequentiæ abſurditatẽ?Sanè enim ſi ne ſpiritus quidem qui eodẽ loco plures ſunt,nõ poſſunt eſse in pluribus locis,quomodo poterit corpus potiùs?

Atque ea ſunt omnia Bellarmini argumenta aduerſus primã theſin.Si plura haberet,nõ diſſimularem:& tu ipſe,Gautiere,ſi alia habes,mihíque ſuggeris, potius quã apud plebem declamas,conabor ſatisfacere.De ſecunda Theſi, quæ aſſerit corporis Chriſti veritatem, non puto multa mihi facienda verba:à tuis enim nondum vidi negatam. Tantum relege paucos locos ex puriori antiquitate à me ſelectos, vt ſcias iam olim eaſdem ex ea doctrina concluſiones deductas,quas nos hodie vobis obii-

cimus. August. de Eſſ. diuin. Eundem Dei filium ſecundùm ſubſtantiam diuinitatis ſuæ inuiſibilem, & incorporeum, & immortalem, atque incircumſcriptum, ſicut & Patrem & Spiritum ſanctum, nos credere & confiteri oportet. Iuxta humanitatem verò, viſibilem, corporeum, localem, atque omnia membra humana veraciter habentem, credere conuenit & confiteri. Quoniam ſicut eundem Dei filium & redemptorem noſtrum ſecundùm diuinitatem inuiſibilem & incorporeum, ſicut & Patrem & Spiritum ſanctum non credere, impium eſt: ita eundem Dei filium in homine aſſumpto, viſibilem, corporeum, atque localem poſt reſurrectionem non credere & profiteri, prophanum eſt. Et Epiſt. 57. Chriſtum Dominum noſtrum vnigenitum ne dubites eſſe in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum. In Ioan. tract. 78. Ibat per id, quod homo erat: manebat per id, quod Deus erat: ibat per id, quod vno loco erat: manebat per id, quod vbique erat. Fulgentius ad Thraſimundum regem lib. 2. cap. 5. Quomodo aſcendit in cœlum, niſi quia localis, & verus homo eſt? Rurſus: Vt Chriſti veri hominis corpus localiter contineri Paulus monſtraret Apoſtolus, ait ad Theſſalonicenſes: Quo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulacris, ſeruire Deo viuo & vero, & exſpectare Filium eius de cœlis, quem ſuſcitauit à mortuis Ieſum. Ergo hoc credidit Antiquitas, Chriſti corpus quia ſit verum, ideo eſſe etiam poſt reſurrectionem locale, ſicut & noſtra: quod oppugnatur hodie.

Tertia theſis non eget aliis argumentis, cum cõcludatur ex præcedẽtibus. Quare finem facio, tantiſper dum mihi nouam laboris materiam prębeas:

Et præbebis